3:10:

FAS.

Agostino da' Pozzo

GNOMONICES BIFORMIS,

Geometricæ, ſcilicet, & Arithmeticæ SYNOPSIS,

In quatuor partes diuiſa.

Quarum

Qualibet eſt completus Gnomonica Tractatus, ad vſum totius Orbis Terrarum; vt pleniùs conuerſa paginà, ſingularum partium indicat Epilogiſmus.

OPVSCVLVM

MATHESEOS Candidatis perutilè; quippè in quo iucundiſſima Praxi, ea maximè ex parte deguſtare valent, quæ ſummis ingenij laboribus, ac ſtudio, ex Elementis Euclidis, ex Sphæricis Theodoſij, & ex Conicis Apollonij exantlarunt.

SYLLOGEO

AVGVSTINO A PVTEO

I. V. D. AC MATHESIPHILO.

VENETIIS, Typis Antonij Boſij, M.DC.LXXIX.

Superiorum Permiſſu, & Priuilegio.

Nijhoff
8102
History of Science
3-13-1923
gen.

TOTIVS OPERIS HVIVS EPILOGISMVS.

SYNOPSIS hæc vniuersa quatuor distribuitur in partes, quarum singulæ sunt Tractatus Gnomonicus ad vsum totius Orbis Terrarum absolutus.

PRIMA PARS est Geometrico-Arithmetica, Theorico-Practica; in qua scilicet traditur Fundamentalis Theoria, & Praxis facillimè delineandi Horologia Solaria omnia, Astronomica, Hispanica, Germanica, Gallica, &c. Antiqua, siue Iudaica, Babylonica, & Italica, apud totius Orbis Terrarum Nationes; nempè in Sphæra recta, Parallela, & Obliqua; duplici Methodo; hoc est, Geometricâ, & Arithmeticâ.

SECVNDA PARS, est Gnomonica Tabularis, itidem Theorico-Practica, de Horologijs Solaribus describendis, per Tabulas Gnomonicas. In qua,

Primùm traditur vniuersalis pluriformium Tabularum Gnomonicarum Methodus omnium facillima, & expeditissima, ex ratiocinio, & Analysi Triangulorum, per calculos vtriusque Trigonometriæ; Linearis, scilicet, & Logarithmicæ.

Secundò, Specialis Methodus omnium pulcherrima Peripheriæ, & Regulæ, Ioannis Paduanij Veronensis, mirum in modum, Demonstratione, breuitate, & facilitate illustratur.

Tertiò, adiectæ sunt Tabulę Gnomonicę secundùm eandem

dem rationem ſupputatæ ad latitudinem Poli Almæ, & Imperantis Vrbis Venetiarum, & aliorum locorum, in eodem circiter Parallelo exiſtentium per Europã, Aſiam, & Americam vtramque, pro horarijs Italicis, Babylonicis, Aſtronomicis, & Antiquis; Horizontalibus, & Verticalibus; Directis, & Declinantibus ad ſingulos gradus. *Quibus* ſingulis *Tabulis*, in calce, ſubdelineauimus paradigmatica Diagrammata in horis Italicis.

TERTIA PARS, eſt Tabularis Salodiana, itidem Theorico-Practica; Continens D. Hyppoliti Salodij, & P. Iulij Fuligati Gnomonicarum Tabularum conſtruendarum Methodum, faciliori demonſtratione, & breuiori calculo, & vſu, ad omne, & in toto Terrarum Orbe, horariorium Solarium genus delineandum, explanatam.

QVARTA PARS, eſt Gnomonica Organica; Organum Gnomonicum Salodianum illuſtratum exhibens, ad cõſtruenda, (mirâ planè facilitate, ac breuitate, in quocunque plano Horizontali, ſcilicet, & Verticali, tùm directo, cùm declinante,) Horologia Aſtronomica, ſiue à Meridie, & Media nocte; ab Ortu, & Occaſu; ſeu Italica, & Babylonica, in ſingulis parallelis.

Præterea traditur ſpecialis Graphis, ſeu Deſcriptio Organi Gnomonici eiuſdem ad Altitudinem Almæ Venetiarum Vrbis, ac totius paralleli grad. 45. Cum Tabulis Almucantaratharum, & Azimuthorum ad illud conſtruendum ſub Parallelis, ſiue Altitudinibus Poli triginta, pro omnibus Signis Zodiaci inſcribendis in ſingulis horarijs prædictis.

SACRA-

SACRATISSIMÆ TRIADI,

VNICÆ, AC SIMPLICISSIMÆ DEITATI,

Cuius Potentia res omnes conditæ sunt, Sapientia reguntur, Amore complicantur.

IMmensæ Maiestati Tuæ (Sacratissima TRINITAS, Vnica, & indiuidua DEITAS) omnia mea debentur, quia tua sunt omnia. Exod.13.2. *In primis autem Scientiarum Synopses, quas haud, nisi Te affiante inchoare, Te auxiliante vlterius producere, Te perficiente complere potui; omninò ad Te, vnde fluxerunt, redire debent: Sicut vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterùm fluant.* Eccl.1. *Verum has inter præsertim Opusculum Gnomonicum istud, pluribus nominibus, TIBI sacrandum, & commendandum existimaui. Tùm, scilicet, Iure specialis seruitutis, qua Mancipij opera, & partus Domino acquiruntur.* §. In potestate, Inst. De ijs, qui sui, vel alien. Iur. sunt & l.10. ff. de acquir. rerum Domin. *Tùm Diuino Tuo Iure* (Exod.c.13.) *cùm illud primum sit genitum, quod in lucem ediderim Tùm, quia tandem cùm in Sole posueris tabernaculum*

tuum,

tuum, Psal.18. *in Horologijs Solaribus plurimum manifestatur gloriæ Tuæ. Quemadmodum enim Horologium Solare Ectypon est Vniuersi; ita (quatenus ima licet componere Summis) plura æque TVI, atque operationum infinitæ Potentiæ, Sapientiæ, & Bonitatis Tuæ; tùm ad intra, cùm ad extra; circa naturam, & gratiam, Symbola non obscura, clarè satis exhibere videtur. Hinc gemini cum primis Coni, qui perpetuò circa idem punctum Verticis Gnomonici turbinantur; Superior, & luminosus primus; Inferior, & Vmbrosus alter, vtriusque Mundi, Prototypi, scilicet Increati, atque Creati Aenigma, haud implicatum censeri possunt. Amborum etenim communis Horizon, est punctum, hoc est, Nihilum. Nam punctum, (definiente Euclide) est, cuius pars nulla est. Cùm autem vniuersim Coni ea sit ratio, vt totus circulus sit, vtputa Aeternitatis Hieroglyphicum; totusque simul triangulus, Symbolum Triadis: & præter id, Superior luminosus, in vna, & eadem lucis Substantia, potissimè Trina luce refulgeat; nempè Fontali ingenita, Radiali genita, & Lumine ab vtraque effuso; quàm pulchrè licet in ipso, quasi in vnius Deitatis æternæ indiuidua, & simplicissima essentia, mirandum personarum TRINITATIS mysterium contemplari! velut in inferiori vmbroso, eiusdem impressum speculari vestigium! Dum verò Conus idem luminosus, primus, & independens ab alio, sua actiuitate, per eundem radium, egressum à centro lucis Fontalis, è puncto Verticis Styli alterum gignit, inferiorem scilicet vmbrosum, tanquam sui Typon, quem etiam perpetuò ser-*

uat

uat influxu; quo affluente Horarij motus procedit; retroacto, recedit; sublato, euanescit; quid clariùs designet, quàm diuinam productionem ad extra? Hac profectò Sanctissima TRINITATIS creatrix Vnitas fecit, vt Vniuersi Machina, quasi sui Imago, aut potius Vmbra è Nihili centro, & Horizonte manaret: idque (tametsi alioquin omnia opera Dei extra se, communia sint omnibus tribus personis Diuinis) non aliter, nisi per Archetypum Verbum, qui est radius, et Splendor Paternæ *lucis,* & gloriæ, per quem fecit & Sæcula. Heb.c.1. *Immò,* per quem omnia facta sunt. Ioan.c.1. Conseruantur in esse. D.Tho. Cont.Gent. lib.4.c.13. *Et præmouentur ad operandum.* Idem quæst.3.de Pot.a.7.c. *Verùm quanam est hac diuina communicatio ad extra? Certò non per propriam substantiam, sed per sui similitudinem, & Vmbram. At quorsum id? Nùm quia,* Sicut (ex Ficin.in Symp.orat.6.c.17.) lumen Solis in aqua, vmbra quædam est ad clarius eiusdem lumen in aere: Splendor in aere, vmbra similiter ad eiusdem in igne fulgorem: Fulgor in igne, vmbra ad lumen Solis eodem ipso in Sole fulgentem: *Eadem est inter attributa, & perfectiones, quæ sparsæ reperiuntur in creaturis, & eminentialiter in Creatore vnitas, comparatio?* Neque enim (*vt inquit* Porphyr.De Occasionibus apud Iamblic. De Myster.) similiter omnia in omnibus intelligimus, sed propriè se habet ad omnia vniuscuiusque essentia. In intellectu quidem intellectualiter: in Anima verò rationaliter: in plantis seminariè, in corporibus imaginariè: in eodemque (quod his omnibus superius est) modo quodam superintellectuali, atque superessentiali.

Quare Ficinus idem, vbi suprà cap. 19. Deum in his amabimus (ait) In corporibus quidem Dei vmbram, in Animis Dei similitudinem, in Angelis, eiusdem Imaginem. Vmbra verò, & vestigium, figura eius, cuius vmbra est, & vestigium refert. Idem Symp. orat. 2. cap. 3. *An verò, ne in cognitione Diuinæ Essentiæ cæcutirent oculi vespertilionum mortalium?* Quemadmodum enim vespertilionum oculi ad lumen diei se habent, ità, & intellectus Animæ nostræ ad ea, quæ manifestissima omnium sunt. 2. Metaphys. t. 1. *Et quidem* lux *Essentiæ Sacratissimæ TRIADIS* in tenebris lucet. Io. c. 1. *Nam* Posuit tenebras latibulum suum: Psal. 17. *Et*, Sicut tenebræ eius, ita & lumen. Psal. 138. *Ità, neque in Horologio Solari quidquam lucis Coni Cœlestis elucet, nisi, vel lux in tenebris, vel tenebræ reluceant in luce. Præterea, vti Conus luminosus in sui vmbra, planis Conotomis, nec totus, nec tot aliter communicatur, sed quatuor tantùm modis, in genere, participatur, iuxta numerum Sectionum communicabilium, quæ sunt, Circulus, Ellypsis, Parabola, & Hyperbole; cùm cæteroqui sectio Triangulus per Axem incommunicabilis maneat: sic in vniuersitate creaturarum quatuor tantùm enumerantur gradus, scilicet, Inanimatus, Vegetabilis, Sensitiuus, & Rationalis: Nullique eorum communicatur Diuina Essentia, aut aliquod eius attributum infinito modo, sed limitato dumtaxat, & finito; vt ità tota sit in omni, quod in nullo; Nec secundùm distinctionem personarum TRINITATIS, in vnica Essentia; ex qua, lumine naturali, argumentum pateat, quod Deus Creator Omnipotens, sit Vnus, simul-*

que

que Trinus, nisi præsupposita reuelatione Diuina.

Hæc sunt opera miranda infinitæ Potentiæ, Sapientiæ, & Bonitatis Tuæ, vt alia plura omittam, quæ ex vmbris Sciathericis eradiantur, circa naturam. Verùm quàm explicatissimè in ijsdem relucent opera gratiæ! Velut enim per eundem radium, quo Conus vmbrosus Vniuersus producitur, describuntur & lineæ Horariæ: singula attinguntur minuta; præscribuntur termini parallelis; dies ortu, meridie, & occasu distinguuntur; perpetuis reuolutionibus numerantur anni; mensurantur sæcula; idque dupliciter, vel per vmbras, vnde Sciathericum, vel per lucem, vnde Actithericum. Itàeodem planè influxu præuio, ac simultaneo Diuinissimæ Potentiæ Tuæ, non tantùm singula decurrunt vitæ nostræ momenta, quantùm moueantur affectus; ipsis statuantur termini; singulæ producantur operationes; notentur merita; & quidem luce, aut vmbris. Nam sicut in Horologio Solari idem radius luminosus, tunc momenta horarum, ac delineationes omnes per vmbras describit, quando loco indicis, in cuius apice est centrum microcosmi Gnomonici, ponuntur ferrei styli acuminati, & auium rostra; per lucem verò eadem omnia designat, quando intra domum, loco styli, foramen, aut fenestrella aperitur, per quam lucis radius ingrediatur, vel in fenestra posito speculi fragmento, reflectatur lumen intra cubiculum: sic in microcosmo rationali, si in plano pectoris, contra cœlum erigantur ferrei styli scelerum, criminum obeli, & cuspides (quales sunt decimæ peccatorum, quæ offeruntur Deo; sicut eas ex quæstu prostitutæ pudici-

tiæ, teste Herodoto, obtulit Delphico templo salacissima Rhodopis;) heù, tunc vani nostri decursus vitales; at vitales? an mortales, & mortuos potius dicam? meritò euanidis, et fugacibus computantur vmbris. Hoc ipsi infelices impij vltrò, Sap. c. 2. *fatentur his verbis*: Transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, & sicut nebula dissoluetur, quæ fugata est à radijs Solis: & à calore illius aggrauata; & nomen nostrum obliuionem accipiet per tempus; & nemo memoriam habebit operum nostrorum. Vmbræ enim transitus est tempus nostrum. Et cap. 5. Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis; & ambulauimus vias difficiles: viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam Vmbra. Talia dixerunt (*inquit Sapiens*) in Inferno hi, qui peccauerunt. *Quod si loco indicis cuspidati intra cubiculum cordis (quod est centrum vitæ, & operationum microcosmi rationalis) Diuino impulsui aperiatur fenestra, statim Diuinæ gratiæ radius ingrediens horas, horarumque cuncta momenta luce viuifica distinguit, enumerat, depingit, illustrat, Æternitatis characteribus notat. Vnde,* Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Sap. c. 3. Et sicut Sol in regno Patris eorum. Matth. c. 13. *Nec mirum cum ipsa Diuina gratia nihil sit aliud, quàm participatio Diuinæ Naturæ. Adest quoque in omni Horologio Solari, saltem fundamentali, in quacumque Sphæræ positione, præfulgens humanæ salutis Trophæum. Cuius brachia sunt in Æquatoris lineæ; Stipes in Meridiana, Tropicis intercepta.*

Quibus

Quibus mirè Incarnati Verbi, ac Mundi reparationis tempora, & Mysteria teguntur. Nam dextram Æquinoctialis partem, hoc est, dextrum Crucis brachium delineat Sol, in principio Æquinoctij Vernalis, & Arietis, partem Orientalem ascendens; & sinistrum, per plagam Occidentalem descendens, sex videlicet spatio signorum decurso; vt statim in ipso Mundi primordio, commissa prævaricatione, decretum, & spes reparationis, post sex mille circiter annorum curriculum, seu dimidium Zodiacum millenariorum annorum elapsum, in eodem signo, in quo processerat creatio, futura per Crucis passionem, indicaretur. Cuius decreti vigore, dicitur Agnus *in Crucis altare* occisus ab origine Mundi. Apoc. cap. 13. 8. *In principio igitur Arietis, & Mundus creatus est, & culpa dilapsus: Incarnatum Verbum, crucifixus Iesus, redemptus homo. Sed hac linea transversalis Crucis eadem est, quam Sol efficit in Æquinoctio Libræ; quòd brachijs Reparatoris Mundi, in Cruce ad libellam Horizonti extensis, Patri, æqua lance, pro nobis esset satisfacturus. Vnde Hymnus.*

Beata, cuius brachijs
Pretium pependit sæculi,
Statera facta corporis.

Stipitis autem pes in brumali Tropico fixus iacet, vbi Sol existit in Perigæo, hoc est, vicinissimus terræ; quia tunc temporis Sol iustitiæ Christus Dominus in terra natus apparere debuerat, missus à Patre ob nimiam charitatem: Sic Deus dilexit Mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Ioan. cap. 3. *Vt ignem sui amoris in mortalium cordibus*

frigescentibus accenderet, cùm Tropicum frigoris peccati iam attingerent. Ignem veni mittere in terram. *Sub nocturno meridiano*: dum medium silentium tenerent omnia, &c. *quia nascebatur mortalis; idemque esset mortalitatis ortus, & passionis initium. Crucis tandem Gnomonicę caput in Tropicum vsque Cancri ascendit, ibique verticem sistit. Non quia Christus Dominus sub Tropicum estiuum redemptionis periodum morte sua claudere distulerit: sed cum æstuantis amoris Tropicum, & Apogęum, sic ipse attingeret, vt altius ascendere non posset; vitam ipsam, in signum excedentis charitatis, profudit*. Maiorem enim charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. *Itaque non in Tropico Cancri Astronomico, sed mystico; Verè autem in Ariete, in quo fit lucis, & caloris vigorosa augumentatio; Anni florida renouatio: estque Domus Martis, & exaltatio Solis; Sol noster iustitiæ, totus amore flagrans, in Cruce exaltatus est*; (cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum:) *& veluti Mars inuictissimus, debellatis hostibus, gloriosa mortis Eclipsim passus est, Vt cuncta viuificaret; nouo florescerent Vere; & luce immortalitatis fulgerent; qua ipse mox recinctus, gloriosus foret resurrecturus. Verùm quid plura prosequor? Quid guttas Maris; Quid arenas, in adeò angusta scrobe coarctare; Quid infinitas Orbis atomos, & innumera perpetui Æui instantia numerare contendo? Claudo itaque iam pueriles meæ narrationis riuulos; & alia permulta mirabilium, quibus immensa Maiestatis Tuæ arcana, cùm in Sciathericis, tùm maxi-*

*mè in Actithericis Horarijs euelant ur, libenter missa facio. Ac tandem Synopseos huius monusculum, in quo tanta, & tàm multiplicia Symbola, Hieroglyphica, & Ænigmata immensa, et inaccessibilis lucis Tua, mensura contexta; fundata pondere, numero distincta, atque exornata; breui aut luce, aut vmbra animata, quibus Omnipotentia, & Sapientia Tua in rebus omnibus tùm condendis, tùm distinguendis, & decore illustrandis, geometrizat; TIBI, tanquam verè tuum, humillimè offero, do, dico, sacro, atque commendo. Minimum quidem est, ac tanta impar Maiestati; non inficior, sed nihilominùs offerre audeo, animi confidentiam oue benignitatis, & mansuetudinis TVÆ (*Exod.34.10.*) qua* humilia respicis, & alta à longè cognoscis (*Psal.112.*) *mox redempturus. Accipias igitur illud benigno, & clementi numine; perfice, tuere, protege; meque perpetuò foueas; vt aliquando tenebris huius mortalitatis disiectis, annuente misericordia TVA, lucis æternæ gloriæ participem efficias, O Sacratissima TRINITAS, vnica, & simplicissima, in Essentia, DEITAS. Cui sit immortalis honor, & gloria per sæcula æterna.*

PRO-

PROOEMIVM AD LECTOREM.

DVæ duæ res, tanquam duo acutissimi stimuli, maximam vim in studiosis adolescentibus, ad artes capessendas habere solent, nimirùm Delectatio, & Vtilitas, eæ ambæ in Gnomonicæ speculatione, mirum in modum concurrunt. Etenim, quàm iucunda, delectabilis, ac re vera in tota Astronomia, & in actionibus vtriusque Politiæ; nempè Ciuilis, & Ecclesiasticæ, vtilis sit, inter Disciplinas Mathematicas, ipsa Gnomonice, nemo est, qui prorsus ignoret. Ea parui Gnomonis vmbra, per immensa Cœli spatia gradientis Solis metitur cursus; periodos notat; Anni tùm Æquinoctialis, cùm Tropici obscurum initium aperit; terminum claudit; Parallelos omnes exactissimè ostendit; Azimutha ad vnguem signat; Verticales adamussim proprio delineat è Vertice; & amplissimi Vniuersi infinitos gyros, & orbes, angusta plani superficie, ob oculos ponit. Hic Matheseos Candidati, quæ summo ex elementis Euclidæis concepere labore, quæue per Syrtes, & aspera breuia Conicorum Apollonij, & Sphœricorum Theodosij, fastidio tulerunt, suauiter gaudentes pariunt; hilari contemplantur affectu; mente planè perspiciunt; ac tandem (vt verbo expediam) cuncta ferè Arcana Theoricæ Mathesis, iucundissimo Tyronum fructu, hìc viuam explicantur in Praxim. Verùm, cùm Scientiarum delectationis mater sit intelligentia, quæ facilè oritur ex Syzigia breuitatis cum claritate; Ignoratio Nouerca, implicatæ prolixitatis abortus, ex quo fastidium, & fuga; Compendium tale huius præstantissimæ Disciplinæ colligendum putaui, quo duo euitarentur extrema. Alterum eorum, qui eam tradentes immensis voluminibus, perpetua subtilioris demonstrationis Methodo, iuuentutem ab hoc studio magis absterrent, quàm alliciant. Alterum eorum, qui contrà, rudem tantùm Praxim, siue Geometricam, siue Arithmeticam, laboriosa delineatione, ac molestissimo sinuum calculo, ità exponunt, vt nullo demonstrationis filo, aut calculi ratione, Tyrones per lineas varias, & arduas supputationes, quasi per cœcas Labyrinthi ambages, abducere videantur. Itaque Synopsim hanc Horariam biformem, in solatium vacationis horarum, superioribus Annis adumbrare cupiens, mediam, inter duas extremas, viam sequutus, vtramque ità complexus sum, vt, & Praxim vtriusque Gnomoni-

ces,

ces, Geometricæ, scilicet, & Arithmeticæ, summa æque facilitate, ac breuitate contexerem; & Demonstrationis lumen, vel prorsus non omitterem, vel saltem indicarem. Et quidem, vt Geometricam horariorum delineationem prætercam, quæ ex Euclidis vndecimo libro, Conicorum Apollonij, & Sphœricorum Theodosij Doctrina haud obscurè partim illustratur: abstrusa certè, ac laboriosa (alioquin tamen ingeniosissima) Ioannis Paduanij, & aliorum Methodus, quantum ex triangulorum ratiocinio, & analysi; necnon Secantium, Tangentium, Logarithmorumque inuento, & vsu, ad eiusdem Paduanij Canones applicato, nacta sit demonstratiui luminis; operandi facilitatis; & delectationis, Studiosi Lectoris erit proprium referre iudicium. Multa nihilominus curiosa, etsi minus necessaria, vltrò fateor desiderari; & quædam superuacanea interseri; diuersorum tamen respectu. Nam Liber primus Mathematicarum ignaris omninò est necessarius; at vel Tyronibus in huiusmodi disciplinis, prorsus inutilis. Quamobrem illud vnum, Studiose Lector, vehementer efflagito, vt scilicet hoc Opusculum accipias, non tanquam maturum ingenij partum; sed potius veluti præcocem genij lusum; præter intentionem publici Iuris factum, quod mens priuato solatio emancipauerat; editum in lucem precibus amicorum, cum primùm tenebris, *quandoque Phœbi luce illustrandis*, animus idem firmissimus consecrasset. Et vbi sic tulit,

Sidus, & occulti miranda potentia fati, Iuuen. Satyr. 7.

vt Typis excuderetur; si quid erroris, vel mea, vel Chalcographi culpa in operis structuram; aut etiam in Graphides, ac Tabulas Gnomonicas irrepsisse detexeris; ne amabo (Candide Lector) statim animi tui candorem obnubilet aliqua vana religio. Nouit enim prudentia tua quantæ sit molis, etiam in Solertissimis Mathematicis, implicatissima tot linearum diagrammata adamussim contexere; & numero absque errore tractare. Nec proinde minùs benignitati tuæ videatur si Chalcoglaptes, quanquam in arte sua expertissimus, atque diligentissimus, Gnomonices tamen ignarus, quid commiserit, quo Graphis aliqua, non satis graphicè delinearetur. Nam ad hoc sufficit erratum vel capilli quadrante minus: iuxtà pertritum illud: *Minimus error in principio, fit maximus in fine*. Vt igitur ex hac præstantissima disciplina, Mathesis vniuersæ fulgidissimo Sole delectationem, fructum, & vtilitatem assequaris, ad præcepta potius, quam ad exempla, quæ (vt vulgus habet) centum pedibus claudicare solent, incumbas; & praxes animo sedulò exerceas. Etenim quantum in hoc diligentiæ tuæ adhibueris, tantum luminis, non solùm in Sciographia, sed etiam in Mathematicis omnibus adipisceris: necnon Summum Opificem D.O.M. verè omnia in numero, pondere, & mensura fecisse; in diem magis, ac magis admiraberis. Vale.

*** INDEX

INDEX CAPITVM, ET PRAXEVM

Partis Primæ Libri Primi Isagogici.

EPISAGOGE PRIMA.

Ex principijs Geometriæ Theorematicæ.

EPISAGOGE SECVNDA.

Ex Geometria Practica.

pheriam

EPISAGOGE TERTIA.

Ex Doctrina Sphærica, & Conica.

PARTIS PRIMÆ LIBER SECVNDVS.

Horo-

CAP.

Pra-

INDEX.

Pag.	Lin.	Errores	Correctiones	Pag.	Lin.	Errores	Correctiones
11	22	Diuariatione	Diuaricatione		26	T M	Z m
	24	*f g, h i*	*f i, h g*	41	17	æqualis	æquales
	34	figura n.	figura 1.	43	22	G L	G F
	38	K *l*	K *f*	54	23.	*Praxis* 3.	*Praxis* 2.
15	1	*Dato artu*	*Dato arcu*	61	8	Æquatoris est	Æquatoris, est
18	30	Solstitionum	Solstitiorum	63	15	Meridiana	Meridianam
	37	Cœli	Cœlis	68	33	doctrinæ gratia non	doctrinæ gratia, non
	40	Poli	Polis	69	3	posutu	positu
20	28	GH	GG		23	Trigonometria	Trigometriam
22	13	Planũ Horizontis	Planum Horizontis	73	34	L E M	L F M
24	38.	Horarijs sunt	Horarij sunt		27	Triangulo *c* D	Triangulo *c* T D
25	36	Immunis	Immune	76	29	contineat	continent
28	30	*prop.* 1.6.	*prop.* 16.	78	29	supputanda	supputandæ
32	34	Hyperbolæ	Hyperbole	79	4.	supputanda	supputata
33	35	æquidictat	æquidistat	80	20	X Y	Z Y
34	1	Æquatorij	Æquatoris	83	21	puncta diuisionis	per pũctum diuisionis
	41	percurrente duos	percurrentem, duos	85	6	effero	effuso
35	9	L M T	L M; T,	98	2	M, horæ tertiæ	M, & horæ tertiæ
36	24	H T	H I	99	26	reliquatur	relinquatur
37	38	Gnomonicæ	Gnomonica	108	37	Vndecima, 4. in 10.	Vndecimã; 4. in decimã
40	20	M N O	Z N O	112	41	supra horarum	supra, horarum
	21	H L	Y L	113	16	Æquinoctiale *Superius*	Æquinoctiale *Inferius*
	23	V M L	V *m* X	116	12	Vertice Styli	E' Vertice Styli

NOI

NOI RIFORMATORI
DELLO STVDIO DI PADOVA.

HAuendo veduto per fede del Padre Inquisitore nel Libro intitolato, *Gnomonices Biformis, Geometricæ, scilicet, & Arithmeticæ Synopsis, Auctore Augustino à Puteo*; non esserui cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, ò buoni costumi; come parimenti niente contro Prencipi; concediamo licenza ad Antonio Bosio di stamparlo, osseruando gli ordini, &c.

Data dal Magistrato li 3. Agosto 1678.

Battista Nani Cau. Procurator Reformator.
Pietro Mocenigo Cau. Reformator.

Lodouico Franceschi Segretario.

Adi primo Agosto 1679.

Registrata in Libro alla Biastemma.

Zuane Marin Segretario.

BIFOR-

BIFORMIS
GNOMONICÆ SYNOPSEOS
PARS PRIMA

Duos Libros continens,

Quorum

Primus est Isagogicus, triplicem Episagogen complectens,

Primam desumptam ex principijs Geometriæ Theoricæ,

Secundam, ex Geometria Practica,

Tertiam ex Doctrina Sphærica, & de Lectionibus Sphæricis Theodosij, & Conicis Apollonij.

Secundus est Horographicus, Geometrico-Arithmeticus, Theorico-Practicus, Sciatherica omnigena: hoc est Horologia Solaria omnia in quacumque Sphæra positione Geometricè, & Arithmeticè delineans.

LIBER PRIMVS ISAGOGICVS.

LIBRI PRIMI

EPISAGOGE PRIMA

Ex Principijs Geometriæ Theorematicæ.

De Puncto, Linea, Superficie, & Corpore.
Caput Primum.

1 PVNCTVM est cuius pars nulla est. Nempè, quod neque longitudinem, neque latitudinem, neque Profunditatem, id est, Crassitiem, habet. 1. *Def.* 1.

Quamobrem summopere curandum est Horographis; vt sua quoque puncta Mathematicis punctis quàm simillima designent; præcipuè in Horologijs minoribus delineandis; vtendo videlicet Aeus subtilioris acumine; alioqui minimus quinis error in principio neglectus, immensè plus excrescet.

2 Linea est longitudo sine latitudine, & profunditate. 2. *Def.* 1.

Ac ideò in Horologijs subtilis, quantum patitur visus, delineanda, vt distinctè propriam indicet horam; concipitur enim creari ex fluxu puncti vestigium post se relinquentis.

3 Linea est triplex, scilicet, Recta, Curua, & Mixta.

Linea Recta est; quæ, ex æquo sua interiacet puncta. Hoc est breuissima extensio inter duo puncta. Vt ista. ———— 4. *Def.* 1.

4 Paralellæ, rectæ lineæ sunt, veluti *in num.* 3. *seq. Capitis.*

5 Linea Curua est, quæ non ex æquo iacet, seu extenditur inter sua extrema puncta. Quæ quidem potest esse magis, & minus curua.

6 Linea Mixta est, quæ componitur ex recta, & curua. Curuarum Linearum plures sunt species, nempè, Circularis, Ellyptica, Helica, seu Spiralis, Parabolica, Hyperbolica, &c. de quibus infra, *cap.* 7. *Episag.* 2.

7 Su-

7 Superficies eſt quantitas continua habens Longitudinem, & Latitudinem, ſine Profunditate, cuius extrema ſunt Lineæ. 5. *Def.* 1.

Triplex eſt, Plana, Curua, & Mixta.

8 Plana Superficies eſt, quæ ex æquo ſuas interiacet lineas extremas. Vt Folium chartæ delicatiſſimæ, ſumma vi extenſum.

9 Superficies Curua eſt, quæ non ex æquo iacet inter ſuas extremas lineas. Cuius multæ ſunt ſpecies, nempè, Sphærica, Conica, Cylindrica, &c.

Omnis autem Superficies Curua, eſt vel conuexa, vel concaua. Conuexa eſt exterior pars alicuius Sphæræ, vel Coni, vel Cylindri, &c. Vt pars exterior dolij, vel Cyathi. Concaua eſt pars interior eorumdem corporum, ſi intus caua ſunt; vt pars interior dolij, vel Cyathi.

10 Corpus (ſolidum Euclidi *Def.* 1. *xj.*) eſt Quantitas continua habens trinam dimenſionem, nempè longitudinem, latitudinem, & profunditatem, idest, craſſitudinem. Termini, ſiue extrema corporis ſunt Superficies, vel vna, vel multiplex. Diuiſiones corporis trademus infra *caput* 4.

De Angulis Planis. Caput II.



1 ANgulus Planus cauſaliter definitur duarum linearum in plano ſe mutuo tangentium, & non indirectum iacientium alterius ad alterum inclinatio. 8. *Def.* 1.

2 Indirectum autem duæ lineæ iacere dicuntur, quando alterutra earum poſt concurſum protenſa coincidit cum altera, ita vt vnam cum ipſa lineam efficiat. Sicut linea, A B, (*in ſecunda figura*) ex punctis, reſpectu lineæ C D.

3 Quod ſi duæ rectæ in eodem plano, neque in directum poſitæ ſint, neque in infinitum productæ inclinentur ad efficiendum angulum, Paralellæ vocantur. Vt, E F, & G H; *in tertia figura*.

4 Angulus autem formaliter, eſt Superficies in vno puncto collecta, & duabus lineis ad ſe inuicem inclinatis vtrinque terminata.

5 Triplex eſt, Rectilineus, qui conſtituitur ex duabus rectis lineis; Curuilineus, qui ex curuis; & Mixtus, ſeu Mixtilineus, qui fit ex recta, & curua; vt *figura* 5.

6 Anguli cuiuſuis menſura conſiſtit in inclinatione linearum, non autem in earum longitudine; vt dicetur infra, *capite ſequenti*.

7 An-

7 Angulus Rectilineus triplex est, Rectus, Obtusus, & Acutus. 10. 11. 12. *Def.* 1.

8 Rectus Angulus est, quem constituunt duæ rectæ perpendiculariter sibi mutuo insistentes. Vt Angulus A B C, Vel A B L, *in figura* 4.

9 Obtusus est maior recto; vt H B C, *in eadem figura.*

10 Acutus est minor recto; veluti, H B L, *ibidem.*

De Figuris Planis. Caput III.

1 Figura est, quæ sub aliquo, vel aliquibus terminis comprehenditur. Idest clauditur, vel circumdatur. 14. *Def.* 1.

2 Terminus est, quod alicuius extremum est; vt lineæ in Superficie. 13. *Def.* 1.

3 Figura est duplex; Plana, & Solida. Plana est Superficies, vna, vel pluribus lineis clausa. 7. *Def.* 1. Solida est corpus, vna, vel pluribus superficiebus terminata. 1. *&* 2. *Def.* 11.

4 Figuræ Planæ, aut sunt Curuilineæ, aut Rectilineæ.

5 Curuilineæ sunt Circulus, Elypsis, idest figura Oualis, &c.

Circulus est figura Plana sub vna linea comprehensa, quæ peripheria, aut perimeter, idest circumferentia appellatur; ad quam à centro cadentes omnes rectæ lineæ, inter se sunt æquales. 15. *Def.* 1. *Quare circulus non est illa linea circularis, sed ipsamet Superficies circularis, tali linea conclusa. Aliquando tamen prædicta linea vocatur circulus.*



7 Cen-

7 Centrum est punctum illud intra circulum, à quo omnes lineæ rectæ ductæ ad circonferentiam inter se sunt æquales. 15. & 16. *Def.*1. Tale est punctum, A, *in figura prima Iconismi secundi*.

8 Diameter, seu Dimetiens circuli, est recta quæcumque linea per centrum ducta, & ex vtraque parte, in circuli circonferentiam terminata; quæ circulum proinde bifariam secat. 17. *Def.*1. talis est, B C, *figura* 1.

9 Semidiameter circuli est recta quæcumque à centro ad circonferentiam ducta. Appellatur etiam Radius circuli, & sinus totus: Vt, A B, *fig.* 1.

10 Semicirculus est figura, quæ continetur sub Diametro, & sub ea peripheriæ portione, quæ de circuli integra peripheria aufertur à Diametro. 18. *Def.* 1. Talis est, *in figura prima*, B E C.

11 Recta linea secans circulum in duas portiones, non transiens per centrum circuli, appellatur Chorda. Secatur ab ea circulus in duas partes inæquales; quarum maior, in qua scilicet existit centrum circuli, dicitur segmentum maius, vt, F E G. Minor verò pars, segmentum minus; vt, F D C.

12 Sector circuli, est cum à circumferentia circuli, ad centrum ipsius ducuntur duæ Semidiametri, constituentes angulum in ipso centro. 9. *Def.*3. vt, E A C, *figura* 1.

13 Omnis circulus, siue magnus, siue paruus diuiditur à Mathematicis in partes 360. quas ipsi gradus appellant; quilibet verò gradus subdiuiditur in alias sexaginta partes, quas appellant minuta, siue scrupula prima; & quodlibet minutum primum, subdiuiditur in sexaginta minuta secunda, &c. quousque libuerit. Quamobrem semicirculus continet gradus 180. quarta verò pars, seu quadrans circuli, gradus 90.

14 Quantitas autem, seu mensura anguli cuiuscumque, desumitur à quantitate arcus comprehensi inter duas lineas angulum constituentes, si ex puncto concursus, tanquam ex centro describatur circulus. Veluti in figura 1. quantitas Anguli, E A C, est graduum nonaginta; quoniam circumferentiæ pars, siue arcus, E C, est circuli quadrans.

15 Rectilineæ figuræ sunt, quæ sub rectis lineis continentur. 19. *Def.*1.

16 Figurarum Planarum rectilinearum tres sunt species. Trilateræ, quæ sub tribus lineis rectis: Quadrilateræ, quæ quatuor: Multilateræ, quæ pluribus quam quatuor lineis rectis continentur. 20. 21. 22. *Def.*1.

17 Prima species continet omnia triangula. Figura enim habens tria latera, necessariò habet tres angulos. Triangulum ergo rectilineum, nihil est aliud, quam figura plana rectilinea, tribus rectis lineis, seu lateribus comprehensa. 23. *Def.*1.

18 Trilateræ, siue Triangulæ figuræ possunt considerari, & ratione laterum, & ratione angulorum.

Ratione laterum diuiduntur in tres species, scilicet, in Isopleurum, seu Triangulum æquilaterum, cuius omnia tria latera sunt æqualia, vt *figura secunda*: In Isosceles, cuius duo tantùm latera sunt æqualia; vt *figura tertia*: & in Scalenum, cuius latera omnia sunt inæqualia; vt *in figura quarta* 23. 24. 25. *Def.* 1.

Ratione

Ratione verò angulorum eædem figuræ Trilateræ diuiduntur in tres alias ſpecies; nempe in Orthogonium, ſeu Rectangulum; Amblygonium, ſeu Obtuſangulum, & Oxygonium, ſeu Acutangulum. Orthogonium eſt, quod habet vnum Angulum rectum; vt *figura* 5. Amblygonium, quod obtuſum habet angulum; vt *figura* 6. Oxygonium, quod tres habet acutos angulos; vt *figura* 7. Vide 26. 27. 28. *Def.* 1.

19 Secundæ ſpeciei Rectilinearum figurarum, hoc eſt Quadrilaterarum, quinque ſunt ſpecies; Quadratum, Oblongum, ſiue altera parte longior, Rhombus, Rhomboides, & Trapezium.

20 Quadratum eſt, quod Æquilaterum, & Rectangulum eſt. 29. *Def.* 1.

21 Oblongum eſt, quod Rectangulum quidem eſt, & Æquilaterum non eſt; habet tamen duo quælibet latera oppoſita æqualia. 30. *Def.* 1. vt *figura* 9.

22 Rhombus eſt, quæ habet omnia latera æqualia, ſed angulos non rectos; habet tamen duos quoslibet oppoſitos angulos æquales. 31. *Def.* 1. vt *figura* 10.

23 Rhomboides eſt, quæ neque æqualia habet omnia latera, neque angulos rectos; habet tamen aduerſa, & latera, & angulos æquales. 32. *Def.* 1. vt *figura* 11.

24 Trapezium, eſt quæcumque figura Quadrilatera à prædictis diſtincta. 33. *Def.* 1.

25 Parallelogrammum eſt figura Quadrilatera, cuius bina oppoſita latera ſunt Parallela; cuiuſmodi quatuor ſolùm reperiuntur; Quadratum, Oblongum, Rhombus, & Rhomboides. 35. *Def.* 1.

De Figuris Solidis, ſiue de Speciebus Corporis. Caput Quartum.

1 SOlidæ Figuræ ſunt, quæ ſuperficie, aut ſuperficiebus comprehenduntur.

2 Angulus Solidus eſt corpus in vno puncto collectum, quod à ſuperficiebus ad ſe inuicem inclinatis, vel ab vna ſuperficie ad ſe ipſam inclinata (vt in Cono) continetur. 11. *Def.* 11.

3 Sphæra, ſiue globus, cum reliquis ad Sphæram ſpectantibus explicabuntur infra, *de Sphæra, Epiſagog.* 3.

4 Pyramis, eſt Figura Solida, quæ planis continetur, quorum vni reliqua inſiſtunt, & in triangula paulatim faſtigiantur, donec in vnum confluant punctum. 12. *Def.* 11.

Baſis Pyramidis, eſt planum illud, ſupra quod conſtituta ſunt reliqua plana; reliqua verò plana, (veluti etiam quandoque Baſis ipſa) appellantur latera pyramidis.

A Baſi Pyramis tota, denominationem ſumit, vt videlicet dicatur, Pyramis triangula, quadrangula, pentagona, &c.

5 Priſma, eſt Figura Solida, quæ planis continetur, quorum aduerſa duo, quæ baſes appellantur, ſunt Parallelogramma.

A Basium autem Figura, Prisma dicitur, vel Triangulum, vel Quadrangulum, vel Pentogonum, &c. A multitudine verò omnium planorum Prismatum, appellatur aliud Pentaedrum, aliud Hexaedrum, &c. Pentaedrum quidem, quando Basis est triangulum; Hexaedrum, quando Basis est quadrangulum, &c. Vniuersaliter tamen, quando Basis plures habet angulos, quam quatuor, & Prisma plura latera, quam quatuor, appellatur Polyedrum. 13. *Def.* 11.

6 Parallelepipedum, est Figura Solida, sex planis quadrilateris contenta, quorum quælibet duo opposita sunt parallela, & æqualia. 30. *Def.* 11.

Tot sunt parallelepipedorum genera, quot parallelogrammorum; nempe quatuor. Si enim sex parallelogramma fuerint Æquilatera, & Rectangula, hoc est, quadrata, dicetur parallelepipedum illud Cubus. Sic Oblongum, seu altera parte longius, Rhombus, & Rhomboides.

Atque ex ijs patet omne parallelepipedum esse Prisma, non tamen contrà.

7 Trapezium Solidum est, cuius opposita plana neque parallela sunt, neque æqualia. Huiusmodi sunt omnia Solida, quæ plana habent latera, nec tamen sunt Prismata, nec parallelepipeda.

8 De Cono, necnon Sectionibus Conicis agetur infra *Episagoge 3.cap.8.*

LIBRI PRIMI

EPISAGOGE SECVNDA.

Ex Geometria Practica.

De Praxibus Spectantibus ad lineam.

Caput Primum.

Praxis I. Lineam rectam ducere.

REctas Lineas ducere possumus varijs modis, in primis autem tribus.

1 Primò, ope Regulæ ligneæ, aut æreæ perfectè probatæ.

2 Secundò, ope Amussis funicularis atramento, aut rubrica intincti, quo vtuntur fabri lignarij in trabibus, ac tabulis scindendis secundùm lineam rectam.

3 Tertiò, in campo aliquo plano, ope instrumenti alicuius dioptrici. Vel baculis erectis perpendiculariter in extremis lineæ ducendæ. Si enim ab vno ad alium baculum funem extendas, & iuxta funem lineam designes, habebis intentum.

Praxis II. Regulam examinare, num recta sit; & superficiem quamcumque, num sit perfectè plana.

SVmmis vtrinque digitis, aut arcu, aut aduocato socio extensum filum applica regulæ, vel superficiei planæ examinandæ.

Praxis III. Per datum punctum, A, data recta linea, B C, Parallelam A E, rectam ducere.

EX, A, ad datam, B C, duc rectam vtcumque, A D, ad quam, eiusque punctum fac angulum, D A E, æqualem, A D C; erunt, A E, B C, Parallelæ.

Vel ex, A, ducatur arcus tangens rectam, B C, in D. Deinde eodem interuallo circini ex, D, formetur alius arcus, A, ex quouis puncto, E, formetur alius arcus, F; nam recta, A F; ducta per, A, & tangens arcum, F, erit parallela rectæ, B C.



Praxis IV. Data recta linea, A B, & puncto in ea, C, dato; Rectam lineam, C K, ad angulos rectos excitare.

CEntro, C, accipe hinc, inde, C D, C E, eadem circini diuaratione. Deinde ex, D, & E, describantur duo arcus, *f g*, *h i*, supra, vel infra lineam datam, A B, secantes sese in K; ducta K C, erit perpendicularis ipsi, A B.

Vel, in Figura secunda, ex puncto dato, C, aut etiam (si opus sit) ab extremo lineæ datæ, B, abscindantur quinque æquales partes, C, D, E, F, G; deinde facto centro in, C, in præcedenti exemplo; vel in, B, vt in præsenti figura *n*, ad interuallum, B F, describatur arcus, *h i*, & rursus facto centro in, E, ad interuallum, B G, describatur arcus, K *l*; ex, *m*, puncto intersectionis ducta recta, *m* B,



erit perpendicularis ipsi, A B. Demonstratio patet *ex propositione 47. & 48. lib.1. Euclidis.*

Idem fieri potest alijs numeris proportionalibus, veluti duplo, triplo, quadruplo, &c. prædictorum numerorum.

In agris verò, & campis adhibendum erit aliquod instrumentum dioptricum.

Praxis V. Super datam rectam infinitam, A B, e dato puncto, C, quod in ea non est, perpendicularem rectam, C Q, deducere: vel integram, O P, eidem, C Q, orthogonalem; idest ad angulos rectos.



CEntro, C, describe circulum, qui secet datam, A B, in punctis, E, D; Deinde centro, D, ad quodcumque interuallum, supra, & infra lineam datam, A B, circinentur arcus, *f g*, *h i*, & centro E, describantur arcus, K *l*, *m n*; ducta per intersectiones, O, P, erit perpendicularis, & orthogonalis, seu ad angulos rectos lineæ datæ, A B.

Praxis VI. Examinare Gnomonem, siue normam, A B C, num accurata sit.



DEscripto per praxim præcedentem, cuiuis angulo recto, veluti, A Q P, vel, A Q O, &c. aptetur Gnomon propositus; nam si eidem angulo respondeat, prorsus accuratus est.

Vel describatur semicirculus, D E B F, & ex puncto quocunque, B, in peripheria, ducantur rectæ, B E, B F, ad extrema diametri, E, F; describetur enim angulus, E B F, (*ex propositione 31. 3.*) rectus in B; cui proinde applicato angulo Gnomonis, A B C, si adæquatè angulus angulo, & latera lateribus congruant, ritè fabricatus est propositus Gnomon.

Praxis VII. Lineam finitam, AB, bifariam diuidere.



FActo centro in extremis, A, B, ſupra, & infra lineam datam, circinentur arcus, C D, *e f*, & *g h*, *i k*. Ducta, *l m*, per arcuum interſectiones, biſſecat, A B, in, *n*, eique perpendicularis, & orthogonalis ponitur.

Praxis VIII. Datam lineam rectam finitam in quotlibet partes æquales ſecare.



IN Aſſere aliquo perpolito, aut in lamina metallica, chartaue craſſa deſcribatur parallelogrammum, in quo plures ducantur parallelæ omninò æqualiter diſtantes, vt Figura hìc apposita; & erit paratum inſtrumentum, cuius talis erit facilis, & promptiſſimus vſus.

Sit, E F, diuidenda in quatuor æquales partes. Accipe circino longitudinem oblatæ lineæ, E F, & poſito vno circini pede in puncto B, vel in quouis alio lineæ, B D, alterum pedem extende (immota circini apertura) vſque ad quintam lineam includentem quatuor æqualia ſpatia; & notato in ea puncto, G, duc lineam, ſiue manifeſtam, ſiue occultam, B, G; eritque linea, B G, æqualis lineæ, E F, diuiſa in quatuor æquales partes; quæ diuiſio ſi circino transferatur in, E F, habebis intentum. *Clauius ad propoſitionem 40. 1. & 10. 6.*



Vel ab extremis punctis diuidendæ, E F, educantur duæ rectæ inter ſe parallelæ, hoc eſt, conſtituentes angulos E, F, æquales, per praxim tertiam: & ex, F G, abſcindantur tres partes æquales, F I, I K, *K l*, vt ſint tot partes vna minus, in quot linea diuidenda eſt; His autem ex E H. totidem reſecentur æquales E*m*, *m* N, N O; Ductis igitur, I O, K N, L*m*, ſecantibus rectam, *e f*, in S, R, Q, ipſa, E F, ſecta eſt in quatuor partes æquales. *Clauius ibidem.*

De Praxibus aliquibus ad superficies spectantibus. Caput Secundum.

Praxis I. Circulum in 360. partes æquales diuidere.

SIt diuidendus circulus A B C D. Ductis duabus Diametris, A B, C D, intersecantibus sese perpendiculariter in centro, E; retentaque eadem Circini apertura, qua descriptus est circulus; ponatur vnus pes in punctis, A, C, B, D, & alter extendatur vtrinque in circumferentiam circuli, & notentur puncta, vt in Figura, eritque totus circulus diuisus in partes 12. Quælibet harum partium diuidatur in tres partes; deinde quælibet harum trium in quinque; tandem quælibet harum quinque in duas; eritque totus circulus diuisus in partes 360. si è centro ad puncta diuisionis ducantur rectæ lineæ.



Praxis II. Quadrantem Mirificum fabricare, eumque in 90. gradus diuidere.

IN Tabula Ænea, vel lignea, alteriusue materiæ durabilis, ac benè politæ, duc A B, & per Praxim 4. præcedentis capitis A C, facientem angulum rectum in A, centro A, describe quadrantem circuli, A B C, eumque diuide in 90. partes æquales, initio facto à C, eo artificio, quo in præcedenti praxi de diuisione circumferentiæ totius circuli dictum est, & habebis instrumentum infinitis vsibus in Mathematicis aptum.



Fig. 11.

Praxis III. Quot gradus contineat quilibet Angulus, aut Arcus datus, cognoscere.

FIt hoc facillimè ope quadrantis iam in præcedenti praxi descripti, si videlicet A; Quadrantis Centrum applicetur angulo dato, &c.

Arcus enim Peripheriæ Quadrantis, inter anguli crura comprehensæ ostendet quot gradus contineat propositus angulus.

Quod si angulus datus sit maior recto, accipe primo ex quadrante rectum angulum modo dicto, & deinde residuum; hoc enim additum recto integrum angulum dabit.

Pra-

Praxis IV. Dato arcu alicuius circuli, inuenire centrum eiusdem Arcus, & Circulum perficere.



SIt datus arcus, A B C, in integrum circulum efformandus; inuento centro, ex quo descriptus est arcus: Notentur in dicto arcu tria quælibet puncta, A, B, C; ductisque, A B, B C, rectis, diuidantur eæ (*per proxim VII. præcedentis capitis*) bifariam in punctis, D, & E, & excitentur perpendiculares, D F, E F, sese intersecantes in F; erit, F, centrum quæsitum. *propos.25. 3. vel propos.5. 4.*

Praxis V. Per tria quælibet puncta non in eadem recta iacentia, circuli Peripheriam ducere.

MEthodus colligitur ex præcedenti praxi. Sint enim tria quælibet puncta in eodem plano, & non in eadem recta iacentia A, B, C; in Figura præcedentis Praxeos. Duo quælibet punctorum ipsorum connectantur recta linea A B, B C, & ea qualibet bifariam diuisa, ducantur perpendiculares, vt ibidem factum, dico Punctum intersectionis ipsarum fore centrum, quo Peripheria circuli per tria data puncta describi potest.

Praxis VI. Instrumentum ad captandas inclinationes planorum construere.

IN rectangulo, A, B, C, D, metallico, vel ligneo, duplo latitudinis longiore, describatur semicirculus; cuius bini Quadrantes per Praxin primam huius capitis, diuidantur in gradus 90. Capta vtrinque numeratione ab F; Filum deinde ex centro E, labatur cum perpendiculo; & erit paratum instrumentum.

Praxis VII. Instrumentum parare, per quod altitudo Poli super qualibet penduda superficie exploratur.

IN eodem inclinatorio præcedentis Praxeos instituatur secundus numerationis ordo interior, ita vt Altitudo Poli in tua Regione, puta in nostra grad. 45. ponatur iuxta, F, &c. Sicuti factum vides, additis titulis Alt. Poli super Horizontem, &c. constructum erit Altipolarium, cuius vsus habetur infra *lib.2. cap.12. Prax.1.2. &c.*

Praxis VIII. Instrumentum ad planorum declinationes metiendas efformare.



Fig.a 14.

In

IN Quadrato Graphicè elaborato deſignetur circulus, & ſinguli eius quadrantes diuidantur in gra. 90. (*per prim. huius cap.*) exordiendo numerationem ex T, & M, in L, & P; tum in centro D, figatur pyxis cum acu magnetica, ita vt Pyxis tota circumgyrari poſſit, & index, C B, ex eadem pyxidis fundi lamina exciſus moueri ſimul, ſemper, & ad eandem partem cum lilio, ſeu furcinula Magnetica, C, quæ in Septentrionem reſpicit. Veluti in appoſita Figura repræſentantur. T, Tramontana; L, Leuante; M, Mezodì; P, Ponente, ſignificant.

Vſus *inſtrumenti*. Parieti Declinanti applicetur decem peda, quantum fieri poteſt lata, & perfectè rectangula; deinde ad eiuſdem latus exterius Inſtrumenti latus, M, admoue; & quo ſe magneticum lilium, C, vertit, voluatur, & index cum pyxide, donec linea fiducialis, A B, acui magneticæ ſubiaceat parallela; tunc enim indicis vertex, B, declinationis gradum oſtendet. Veluti in Graphide appoſita index oſtendit planum declinans, da Tramontana in Ponente gradi 45.

LIBRI PRIMI

EPISAGOGE TERTIA.

Ex Doctrina Sphærica, & Conica.

Quid ſit Sphæra Mundi, quid Axis, & Poli.

Caput Primum.

1 SPhæra duplex conſiderari ſolet; Naturalis, & Artificialis; hæc Ectypon, illa Archetypon.

2 Sphæra Artificialis eſt duplex, Armillaris, & Aratæa. De quibus videatur Synopſis Aſtronomica *lib. 1. Tract. 2.*

3 Sphæra Mundi ſiue Naturalis nihil eſt aliud, quam Vniuerſi Globus ex vniuerſorum corporum, tum Elementarium, cum cœleſtium aggregatione congeſtus, atque tornatus.

Omiſſis autem in præſenti Neoteriſtarum altercationibus circa Mundi Syſtema, de quo fusè tractauimus in Synopſi Aſtronomiæ, hanc definitionem, doctrinæ gratia, ſic breuiter explico.

4 Corpora Elementaria ſunt quatuor, Terra, Aqua, Aer, & Ignis; ex quibus Terra, Aqua circumfuſa infimum Globi Mundani locum; nempe Mundi Centrum occupat; cui deinde circumſpirat Aer; & deinceps ſpatium ad vſque Lunæ concauum Ignis implet.

5 Cœleſtia verò corpora nouem recenſentur hoc ordine. Ab Igne ſurſum aſcendendo ſeptem Orbes, ſiue Cœli Planetarum, videlicet Lunæ, Mercurius, Veneris, Solis, Martis, Iouis, & Saturni; hinc Firmamentum, ſi-

ue Octaua Sphæra, quod etiam Stellatum cœlum vocant, ac tandem Primum Mobile; quibus omnibus immensum circumeminet Empyreum, felicissima Beatorum sedes. Quæ corpora omnia ad inuicem in Sphæricam Figuram conglobantur, æque vndique tegunt, non secus ac cœparum cortices; *vt in Iconismo sequenti.*

6 In hac Vniuersi Sphæra Astronomi ad suas demonstrationes substernendas, quædam imaginantur puncta, tum lineas, ac circulos varios.

7 Puncta præcipua sunt duo Poli; circa quos, immoto Terræstri centro, singuli circumgyrantur Orbes. Ex ijs alij, qui nostro semper conspicui supereminent Horizonti; Arctici, & Boreales vocantur; alij verò, istis oppositi è Diametro, qui contra perpetuo infra Horizontem nobis occultantur, Antarctici dicuntur, & Austrini.

8 Vtrumque Polorum attingit in extremo sui cœli conuexo, per proprium centrum ducta linea recta, quæ proinde nuncupatur Axis.

9 Ex Polis, & Axibus, alij sunt primarij, quales sunt Poli, & Axis Primi Mobilis (qui etiam absolutè Poli, & Axis Mundi communiter appellantur:) reliqui verò secundarij, & proprij cuiuslibet cœli tantùm, quos circa singuli cœlestes Orbes proprio feruntur motu.

10 Sphæra Aratæa (sic dicta ab Arato Poeta inuentore, aut perfectore) est Globus, cœlestis nuncupatus, in quo circuli præcipui Astronomici, necnon Octauæ Sphæræ Asterismi, seu Astrorum configurationes repræsentantur.

11 Sphæra Armillaris est, quæ fit ex Armillis, siue Annulis, ex aliquo metallo, vel ligno, repræsentantibus circumferentias circulorum Sphæræ Naturalis.

De Circulis Sphæræ. Caput II.

1 EX Circulis Sphæræ alij sunt maiores, siue maximi, minores alij. Maiores sunt, qui Vniuersum, in duas partes æquales diuidunt; Minores verò in duas partes inæquales.

2 Inter maiores sex præcipui enumerantur, Æquator, Zodiacus, Colurus Æquinoctiorum, Colurus Solstitiorum, Horizon, & Meridianus. Præterea pro Horographia, Circuli Verticales, seu Azimuth, Circuli Altitudinùm, seu Almucantarath, & Circuli Horarij.

3 Minores præcipuè sunt quatuor; Tropicus Cancri, Tropicus Capricorni, Arcticus, & Antarcticus.

4 Sex priores maximi, & quatuor isti minores, Sphæram conficiunt Armillarem; cuius Prototypum imaginari debemus in primo Mobili inuariabiliter existens; in reliquis verò inferioribus cœli, non nisi per corrispondentiam ad illud.

5 Æquator itaque, seu Æquinoctialis, est circulus maximus, qui ex Mundi Poli descriptus, Sphæram Vniuersam diuidit æqualiter inter vtrumque. Vt, Æ T Q *in Iconismo sequenti.*

Dici-

Dicitur autem Æquinoctialis, eo quod illum percurrente Sole (quod fit circa 20. Martij; & 23. Septembris) Æquinoctia contingant; primum Vernale, & secundum Autumnale; quibus dies artificiales æquantur noctibus in toto Mundo.

6 Zodiacus est Circulus maximus oblique secans in duas medietates Æquatorem. Eius Poli tantùm à Polis Mundi recedunt, quantum ipse ab Æquatore in Septentrionem, vel Austrum declinat; quippe Arcum Æ Z, vel Q D, grad. 23. m. 30. Quare Poli Zodiaci sunt F, G; & eius Axis, F T G.

7 Diuiditur Zodiacus secundùm longitudinem in partes duodecim, quæ Dodecatemoria nuncupantur, vel signa, animalium nominibus expressa; quorum, & nomina, & characteres arabici sequuntur.

♈	♉	♊	♋	♌	♍
Aries,	*Taurus*,	*Gemini*,	*Cancer*,	*Leo*,	*Virgo*,
♎	♏	♐	♑	♒	♓
Libra,	*Scorpio*,	*Sagittarius*,	*Capricornus*,	*Aquarius*,	*Pisces*.

Secundùm latitudinem verò diuiditur Zodiacus in gradus decem, & octo, vel etiam viginti. Cuius latitudinis dimidium, ad Septentrionem versus, vocatur latitudo Septentrionalis, aut Borealis; ad Austrum verò, latitudo Australis, Media autem linea inter vtramque, Ecliptica, seu via Solis dicitur; siquidem Sol in ea perpetuo suum perficit motum, ita vt neutram in partem, siue Borealem, siue Australem vnquam minimum declinet. Quod omnino contra in reliquis planetis contingit, & ideò ad eorum motus irregulares determinandos, latitudines prædictas, vtrinque ab Ecliptica, Astronomi statuere.

Dicitur Ecliptica, eo quod in ea superiores planetæ ab inferioribus, in eadem diametro existentibus, patiantur Eclipsim. Designatur Zodiaci fascia *in sequenti Iconismo* per, Z T D.

8 Colurus Æquinoctiorum est circulus maximus transiens per vtrosque Mundi Polos, & per primum gradum Arietis, & Libræ. Zodiaci; in quibus punctis gradiente Sole, celebrantur Æquinoctia, Vernum scilicet circa diem 20. Martij, & Autumnale circa 23. Septembris. Repræsentatur *in Iconismo sequenti* per B T A.

9 Colurus Solstitiorum est circulus maximus transiens per vtrosque Polos Mundi, & per primum gradum Cancri, & Capricorni; ad quos accedente Sole contingunt Solstitia, idest quasi Solis stationes; Æstiualis, scilicet die circiter vigesima prima Iunij, & Hyemalis, vigesima prima Decembris. Vt Circulus, V H N O, *in sequenti Iconismo*.

Dicuntur autem hæc duo puncta Solstitia, siue Solis stationes, quia cùm Sol ad ea peruenit, stare videtur, & reuera declinationis motum sistit. Cùm enim primum gradum Cancri attingit, vlterius in Septentrionem non eleuatur, sed in Austrum vergit; & cùm primum gradum Capricorni ingreditur, in Austrum vlterius non deprimitur, sed in Septentrionem versus incipit ascendere.

10 Horizon est circulus maximus è vertice, seu puncto Zenith, tanquam

Polo descriptus, diuidens totum Vniuersum in duo Hemisphæria, superius scilicet visum, & inferius non visum à nobis. Vt; H T O, est Horizon in Sphæra obliqua ad altitudinem Poli Borealis gradi. 45. Hemisphærium superius, est T H V O; Inferius T H N O.

Zenith, aut Vertex, est punctum, V, imminens capiti habitatorum in Horizonte prædicto. Huic puncto Zenith opponitur punctum aliud sub pedibus in inferiori Hemisphærio, nempe, N, quod nuncupatur Nadir.

11 Meridianus est circulus maximus, V H N O, per Polos Mundi, B, A, & verticem: V, ac Nadir, N, ductus, secans Horizontem ad angulos rectos in puncto Septentrionis, O, & Austri, H; superiusque diuidens Hemisphærium in partem Orientalem, & in partem Occidentalem.

Dicitur Meridianus, quod in eo Sol existens Meridiem signet.

12 Tropicus Cancri est circulus minor, parallelus Æquatori, descriptus à Sole, motu Primi Mobilis rapto, dum versatur in primo gradu Cancri, circa diem vigesimam primam Iunij; in distantia ab Æquatore ad Septentrionem graduum 23. m. 30. Ac tum incipit prima dies Æstatis. Vt *in Iconismo sequenti*, Z ♋.

13 Tropicus Capricorni est circulus minor Æquatori parallelus, à quo distat gradi 23. m. 30. Ad Austrum versus; descriptus à motu Solis rapti, existentis in primo gradu Capricorni die circiter vigesima prima Decembris, qua Solstitium Hyemale celebratur, Hyemisque prima dies. Vt *in Iconismo sequenti*, D ♑.

Dicuntur Tropici, idest circuli conuersionis, quia, vt dictum est de Coluro Solstitiorum, cum Sol ad illos peruenit, rursus ad Æquatorem, & oppositum Polum conuertitur.

14 Polares Arcticus, & Antarcticus, sunt duo circelli descripti motu Polorum Zodiaci, circa vtrumque Mundi Polum, ab eo distantes gr. 23. m. 30. quales sunt, E F, & G H.

Sequitur iam totius Mundanæ Sphæræ Iconismus.

De

Fig.ª 15.

Totius Mundanę Sphęrę Iconismus.



B.H.N.O. Meridianus, siue Colurus Solsticiorum, Primi Mobilis conuexum representans.
B. Polus Boreus. A. Polus Austrinus, Primi Mobilis.
B. T. A. Axis, siue Colurus Ęquinoctior Primi Mobilis.
A. T. Q. Ęquator. Z. T. D. Zodiacus. F. Polus Bor. G. Aust. Ęclipticę.
H. T. O. Horizon ad altitudinem Poli Boreal. B. Gr. 45.
Z. ♋. Tropicus. Solsticialis, siue Cancri.
D. ♑. Tropicus Hyuemalis, siue Capricorni.
E. F. Circulus. Arcticus. G. G. Circulus. Antarcticus.

De Circulis Verticalibus, Altitudinum, & Horarijs. Caput Tertium.

1 Circuli Verticales, Azimutha, ſiue Azimuthales, ſunt Circuli maximi, qui per cuiuslibet loci verticem, V, ad ſingula Horizontis, H T O, puncta deducuntur, ſeſe inuicem in, V, verticem, &, N, Nadir interſecantes.



Omnes angulos rectos Sphæraleſ cum Horizonte conſtituunt; ſuntque ipſorum plana ad planum: Horizontis recta, *per* 22. 1. *lib. Theodoſij*.

2 Inter Verticales numeratur quoque Meridianus: VHNO. Circulus Verticalis, qui tranſit per communes Sectiones Æquatoris cum Horizonte, & Meridianum in Vertice ad angulos rectos interſecat; Vt, V T H; Verticalis primarius, ſeu Verticalis abſolutè per Antonomaſiam ſolet appellari.

3 Meridianus, & Verticalis ptimarius totum Hemiſphærium ſuperum (imò etiam inferum) in quatuor quartas diſtinguunt, quarum duæ Orientales dicuntur, ea, quæ vergit in Meridiem dicitur Orientalis Meridiana, & ea, quæ verſus Septentrionem porrigitur, appellatur Orientalis Septentrionalis. Duæ verò Occidentales nuncupantur, quarum altera Occideutalis Meridiana vocatur, quoniam in Meridiem excurrit; Altera Septentrionalis Occidentalis, quòd Septentrionem reſpiciat.

De Circulis Altitudinum.

4 Circuli Altitudinum, qui & progreſſionum (Arabicè, Almucantarath) ſunt qui ex cuiuslibet loci Vertice Horizonti paralleli deſcribuntur, diuidentes cuiuslibet Verticalis Circuli Quadrantem, à Zenith, ſeu Vertice ad Horizontem vſque in 90. grad.

5 Inter omnes autem hos circulos, maximus eſt Horizon; reliqui omnes ſunt minores, & omnes inter ſe inæquales, quorum minimus eſt is, qui proximus Vertici exiſtit, vt patet *in præcedenti figura*.

De

De Circulis Horarijs.

6 HOrarum aliæ sunt Æquales, aliæ Inæquales. Æquales sunt vigesima quarta pars diei naturalis, quarum singulæ siue diurnæ, siue nocturnæ constant semper minutis Horarijs sexaginta. Inæquales sunt duodecima pars diei, aut noctis Artificialis; quæ solùm extra Æquatorem contingere possunt; & modo pluribus, modo paucioribus sexaginta minutis constant; Planetariæ, & Iudaicæ dictæ.

7 Æqualium Horarum quatuor sunt præcipua initia; nam

Ab Ortu Solis initium instituerunt Babylonij, Persæ, Syri, Damasceni, & plerique Orientales Populi; & nunc Baleares, & Norimbergenses.

Ab Occasu Solis olim Hebræi, & Athenienses; & nunc Austriaci, Bohemi, Marcomani, Poloni, Silesij, Sinenses, Cathaini; sed præcipuè nunc Itali, vnde nomen Horologij Italici.

A Meridie. Horas 12. ac totidem à media nocte numerant Hispani, Lusitani, Galli, Belgæ, Angli, & bona pars Germaniæ, & Europæ; vnde Horologium Hispanicum, Gallicum, &c.

A Meridie; Horas 24. enumerarunt Vmbri, Arabes, & maxima pars Astronomorum; Vt Ptolæmeus, Purbachius, Alphonsini, Regiomontanus, Tycho, Longomontanus, Keplerus, Lansbergius, Bullialdus, Maginus, &c.

A Media nocte, Ægyptij olim, & Romani, & Mysi. Et ex Astronomis, Hypparcus, Copernicus, & Reinoldus, &c. quod & Ecclesia retinet in Ieiunijs, & Horis Canonicis. Ita colligitur *ex Plinio lib. 2. cap. 77. Censorino cap. 10. Macrobio lib. 1. Saturnalium cap. 3. Isidoro lib. 5. Orig. cap. 28. Ioanne Rosino lib. 4. Antiq. Rom. cap. 3. Gyraldo de annis, &c pag. 133. Clavio in Sphæra pag. 279. Origan. Tom. 1. pag. 95.*

8 Igitur Circuli Horarij sunt Circuli maximi, qui totum Æquatorem in 24. partes æquales distribuunt. Horum tria sunt genera, scilicet Horarum Inæqualium; Horarum à Meridie, & à Media nocte, & Horarum ab Ortu, & ab Occasu.

9 Circuli Horarum Inæqualium, Æquatorem quidem in 24. partes æquales secant; at Arcum tum diurnum, tum nocturnum cuiuslibet paralleli in partes duodenas inæquales. Vnde fit, vt Æstate horæ diurnæ sint maiores nocturnis, Hyeme verò contra. Vt hic appositum schema demonstrat. In quo,

ABHO, est Meridianus, & circulus h. 6.

HO. Horizon, & circulus h. 12.

Æ Q. Æquator. B, Polus Boreus, A, Polus Austrinus.

T ♋, Parallelus Cancri. Cuius Arcus diurnus, T 12. & nocturnus 12. ♋. in partes duodecim dispescitur.

T ♑, Parallelus Capricorni. Cuius itidem Arcus vtrque diurnus scilicet, ac nocturnus, in partes duodecim secatur.

Fig.ª 17.



10 Circuli Horarum Astronomicarum, & à Meridie, & Media nocte sunt numero duodecim, omnes in Mundi Polis, & Axe coeuntes; Æquatorem, & parallelorum semper apparentium; & delitescentium maximum, in vigintiquatuor æquas partes, secantes; quorum primus est Meredianus. Hinc in appósito Analemmate.

Fig.ª 18.



VHNO, est Meredianus, sive circulus h. 12. Hispaniçæ, &c. Vel primæ Astronomicæ, quæ prorsus coincidunt.

Æ T Q. Æquator B, Polus Boreus; A, Austrinus, & reliqua sicut in Iconismo totius Mundanæ Sphæræ, posito supra in cap. 2.

D C. Parallelus Cancri. E F, Parallelus Capricorni.

V P O G, Parallelus semper apparentium maximus; sub Altitudine Poli, gr. 45.

H I N K, Parallelus maximus nunquam apparentium.

H L O M, Planum Horizontis, cui Polus Boreus eminet, gr. 45.

Circuli autem duodecim omnes in vtroque Polo, B, & A, coeuntes, Horarijs sunt, de quibus in præsenti loquimur.

11 Circuli Horarum ab Ortu, & ab Occasu sunt circuli maximi, qui tangunt Parallelum maximum semper apparentium ex vna parte, & nunquam apparentium ex altera, singuli in singulis punctis vigintiquatuor, in quibus ijdem Paralleli à circulis Horarum à Meridie, & à Media nocte secantur;

quo-

quorum primus eſt Horizon.

Patet hæc deſcriptio in præcedenti Analemmate, in quo H L O M, eſt Horizon, & conſequenter circulus primus Horarum ab Ortu, & Occaſu. Tangit enim parallelorum ſemper apparentium maximum: in, O, & ſemper deliteſcentium maximum in, H, punctis ſectionum circuli Horæ duodecimæ à Meridie, & Media nocte; reliquos verò intermedios Parallelos ſecat in partes æquales: ſed iſtæ ſunt conditiones præcipuæ, quæ in circulis Horarum ab Ortu, & Occaſu requiruntur (*per propoſ. 13. & 16. lib. 2. Theodoſij;*) ergo circuli maximi, quorum primus eſt Horizon ſunt circuli deſcripti, &c.

12 Notate. Vt in quacunque Sphæræ poſitione, & ſuper quibuslibet planis rectè circulos Horarios concipiamus, debemus illos imaginari ſicuti Aſtronomi ſuos Poſitionis, & Domorum circulos fingunt; videlicet immobiles, & ſemper in eodem ſitu permanentes in ſingulis Hemiſpherijs; ita vt pro Horis inæqualibus, & pro æqualibus ab Ortu, & ab Occaſu, primus circulus Horarius ſemper computetur Horizon; pro Aſtronomicis vero, Meridianus.

De Stellis, & earum motibus. Caput IV.

1 STellarum aliæ ſunt fixæ, ſiue inerrantes, aliæ Planetæ, ſiue errantes.

Planetæ ſeptem communiter aſſeruntur; quorum à ſupremo deſcendendo, primus eſt Saturnus, deinde Iupiter, tertius Mars, quartus Sol, quintus Venus, ſextus Mercurius, infimus Luna, vt in ſequenti Tabella, adiectis eorum notis characteriſticis.

♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽
Saturnus,	*Iupiter,*	*Mars,*	*Sol,*	*Venus,*	*Mercurius,*	*Luna.*

Dicuntur Planetæ à Græcis, & à Latinis Errantes, ſeu Errones, & Erraticæ Stellæ, quia proprio motu continuò ſitum, ordinem, ac diſtantiam inter ſe, & à fixis, atque ab Ecliptica huc, & illuc in Cœlo vagantur, & errant, non quidem incertò, & vagò, ſed multùm tamen variabili motu. Singulis proprij attribuuntur Cœli, & Orbes, necdum ſpeciales Poli, & Axes; vt patet *ſupra in Figura cap. 2. huius Epiſagoges.*

2 Fixæ Stellæ ſunt, quæ ſeruant, eundem ſemper ſitum, eandemque diſtantiam inter ſe, & ab Ecliptica, perinde, ac ſi tanquam Clauiaurei Cœlo Octauo, ſeu Firmamento, quo cum mouentur, eſſent infixæ, &c. Vnde hac de cauſa Firmamentum, Cœlum illud Aſtronomi appellant, & Græcis dicitur Aplane, hoc eſt Inerrans, ſeu ab errore immunis, eo quod Stellas inerrantes contineat.

Fixarum numerus, ante Nouum Orbem detectum, fuit ſolùm 1022. In conſtellationes, & Aſteriſmos 48. ab Aſtronomis redactus. Inter Recen-

tiores verò Bayerus Constellationes huiusmodi 60. enumerat; Keplerus,& alij 62. alij 64. aut 65. Harum Constellationum in Zodiaco sunt duodecim, nempè Aries, Taurus, Gemini, Cancer Leo, Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces; Primæ sex in Boream ab Æquatore declinant, reliquæ sex in Austrum.

Extra Zodiacum Boreales sunt 23. nempe Vrsa minor, Vrsa maior, Draco, Cæpheus, Bootes, Corona Borea, Hercules, Lyra, Cygnus, Cassiopeia, Perseus, Auriga, Serpentarius, Serpens, Sagitta, Aquila, Antinous, Delphinus, Equiculus, Pegasus, Andromeda, Triangulum Boreale, Coma Berenices.

Australes sunt 27. vel 29. quorum 15. priores sunt Antiquæ, reliquæ 12. à recentioribus additæ. Nomina priorum sunt, Cete, Orion, Eridanus, Lepus, Canis Maior, Canis Minor, Argonauis, Centaurus, Lupus, Hydra, Crater, Coruus Thuribulum, Corona Australis, Piscis Notius. Nomina posteriorum sunt. Grux, Phænix, Indus, Pauo, Auis Indica, Musca Indica, Triangulum Australe, Chamæleon, Piscis volans, Dorado, Toucan Auis, Hydrus.

De Syderum Motibus.

4 DVplex Syderum Motus in Cœlo deprehenditur; vnus omnium Syderum Communis ab Ortu in Occasum; alterum singulorum proprius ab Occasu in Ortum; ille primus, hic secundus ab Astronomis appellatur.

Primus, & Communis Motus, est quo totus stellarum exercitus mouetur quotidie, vt dixi, ab Oriente per Meridiem in Occidentem, indeque per mediam noctem rursus in Orientem, tempore 24. horarum; vnde & diurnus, & quotidianus appellatur. Hoc motu, qui primo Mobili, tanquam illius proprius, attribuitur, rapiuntur omnes inferiores Orbes, non tamen eadem omnes velocitate, quia peculiaribus suis motibus contrarijs inæqualiter retrocedunt. Hoc Sol, & omnia Astra describunt quotidie circa Polos Mundi circulos parallelos Æquatori, vel potius Spiras, eo Maiores, aut Minores, quo magis, aut minus à Polis absunt.

4 Secundus, & proprius Stellarum Motus, est ab Occasu, vt dicebam, per Meridiem in Ortum; indeque per mediam noctem in Occasum. Hoc motu aguntur Fixæ, & septem Planetæ super Axes, & Polos proprios distinctos ab Axe, & Polis Mundi, & quidem singuli propria temporis periodo, vt fusiùs habetur in Synopsi Astronomica.

Hinc nil mirum, quod idem Cœlum, vel Sydus duobus contrarijs motibus agi contingat, quando alter motuum est ab extrinseco, & communi Mobili, & Motore; alter verò ab intrinseco, & proprio Mobili, aut Motore; ac super diuersos Polos, & Axes; vt fit cum quis Na

ui ab Ortu fertur in Occasum, ipse verò interim si libeat procedit à Prora in Puppim, & sic ab Occasu in Ortum, contra Nauis motum. Quemadmodum etiam, si Rota circumgyretur itidem ab Ortu in Occasum nihil impedit, quo minus Formica, aut Musca in Conuexa Rotæ superficie existens, proprio motu gradiatur ab Occasu in Ortum; sicque duobus, & contrarijs feratur motibus. Vtrumque tamen vnico Ellyptico motu explicari posse, non me latet; verum in præsenti, cum pluribus loquendum putaui.

De Accidentali Mundanæ Sphæræ diuisione scilicet respectu habitatorum. Caput V.

1 SPhæræ positio, ac situs desumitur ex situ Æquatoris respectu Horizontis, & consequenter respectu habitatorum. Cùm autem Æquator se habeat cum Horizonte sic, vt faciat cum ipso, vel angulos rectos, vel obliquos, vel nullum, nimirum, quando coincidit cum Horizonte, ita vt Paralleli Æquatoris, sint etiam paralleli Horizontis; hinc triplex oritur Sphæræ positio, Recta, Obliqua, & Parallela.



2 Sphæra Recta, est in qua Poli Mundi sunt in Horizonte, vt in prima Figura, H O; & Æquator Æ Q, transit per punctum Verticis, Æ; nullaque est stella, vel occulta, vel inoccidua, sed omnes oriuntur, & occidunt, ac per horas 12. supra Horizontem morantur.



3 Sphæra Obliqua dicitur illa, in qua alter Polorum sub Horizonte deprimitur, & alter supra illum eleuatur. Aliquæ etiam Stellæ semper apparent, aliquæ verò semper occultantur, vt quæ sunt Polis vicinæ. Videatur Figura Secunda.

4 Sphæra denique parallela, eſt in qua vnus Polus eſt in Zenith, ſiue puncto verticis, & alter in Nadir, ſiue puncto pedum, & Axis Mundi idem eſt, ac linea Verticalis; in eaque tanta eſt nox, quanta fuit dies, quando Sol in oppoſito Eclipticæ puncto fuit; ſicut etiam in Sphæra Obliqua. Et hæc breuiter dicta ſint de Sphæra ad Horographiæ Epiſagogem; plura videantur in Synopſi Aſtronomica.

Fig.21.



De Analemmatis conſtructione, & vſu in Horarijs. Caput VI.

1 ANalemma (latinè edita ſtructura) eſt Cœleſtis Sphæræ in plano repræſentatio; Vel (*ex Clauio Gnom. lib.* 1. *propoſ.* 1.) Analemma, eſt Figura quædam circularis circa centrum cuiuſuis aſſumpti circuli maximi, per Polos Mundi tranſeuntis, & in eius plano deſcripta; communes ſectiones præcipuorum circulorum Sphæræ, ac illius aſſumpti circuli Maximi, per Mundi Polos ducti, continens. Mirabile ſanè Veterum inuentum, & baſis omnium ferè, quæ de Phœnomenis Primi Mobilis, & in Geometria demonſtrantur.

Sic autem illud, aſſumpta quacunque Poli Altitudine, deſcribitur.

V H N O. Eſt Meridianus, vel Meridiani planum circa Mundi centrum, T.

H O. Sectio communis Meridiani, & Horizontis. *pro.* 19. 11. *& p.* 6. *l.* 2. *Theod.*

O B. Eſt arcus Altitudinis Poli gr. 45. ſupra Horizontem. H O, vnde,

B A. Eſt Axis Mundi. B, Polus Borealis. A, Polus Auſtralis.

V N. Communis Sectio Meridiani, & Verticalis Primarij. Quare, V, eſt Zenith, ſeu Vertex; & N, Nadir.

Æ Q. Æquator ad Axem, B A, perpendicularis (*Coroll. pro.* 1. 6. *l.* 1. *Theod.*) & communis Sectio Meridiani, & Æquatoris. *pro.* 19 *l.* 11.

O V. H N. Per puncta O, N, ipſi Æ Q, parallelæ, ſunt communes Sectiones Meridiani, & parallelorum, qui ſunt omnium ſemper apparentium, ſemperque latentium maximi. *pro.* 10. *lib.* 2. *Theod.*

2 Modo ſumantur hinc inde ab Æquatore, Æ T Q, Solis declinationis Maximæ gr. 23. m. 30. Arcus Æ C, Æ E; & Q D, Q F; ductiſque diametris, E C, F D; centris *g*, *& b*, deſcribantur Semicirculi *g* E I C, & H F K D, qui Senas diuidantur in partes æquales; quarum bina æqualiter à punctis I, K, diſtantia rectis iungantur. Erunt rectæ huiuſ-

modi

modi, & Æquatori, & inter se parallelæ; communesque sectiones parallelorum per initia signorum, ac Meridiani circuli ductorum. Nam

M N
L L } Est parallelum { ♉ & ♍ / ♊ & ♐ / ♋ } N N / P P / E F } Est parallelum } ♏ X / ♑ ♒ / ♑

Æ *l*, Æ *m*, Æ *n*, Æ P, sunt Arcus æquales declinationibus reliquorum signorum Zodiaci inter Cancrum, & Capricornum, & quidem sic certius diuisi, quam per gradus declinationum; cum in circulo, V H N O, minuta, & secunda graduum designari nequeant. *Vitru.lib.9.*

TC, T L, TM, &c. sunt communes sectiones Meridiani, atque Eclipticæ varias positiones obtinentis in ipso Meridiano. Nam T C, est eiusmodi sectio cũ principium Cancri in Meridiano fuerit, &c. Eædem quoque rectæ appellantur radij signorum, vel Zodiaci, quoniam Sole existente in signorum initijs referunt radios, quos in Meridie Sol per Mundi Centrum, T, proijcit.

Fig.ª 22.



3 Huiusmodi autem paralleli, sectiones, vel rectæ lineæ, & Arcus in quocumque Climate, ac Horizonte construatur Analemma, semper immutabiles permanent; Cœteræ verò sectiones variantur pro varia Altitudine Poli. Veluti communis sectio Verticalis, & Meridiani; Circuli Maximi semper apparentium, semperque latentium, Meridiani, &c.

4 Hac arte possunt etiam aliorum circulorum sectiones cum eodem Meridiano describi in eodem Meridiano; immo Figura Circularis in plano cuiusuis circuli Maximi continens sectiones communes aliorum circulorum cum eodem circulo Maximo, Analemma dicitur.

5 Vsus Analemmatis quam multiplex, quam varius sit in rebus, tum

Astro-

Astronomicis, tum Gnomonicis, hic vnus prælibandum expostiget Iconismus; in quo data Poli Altitudine gr. 45. hæc omnia, vnico intuitu, aperiuntur; Quæ scilicet dierum sint magnitudines, & noctium, idest quantitas Arcus Diurni, & Nocturni; Quodnam tempus Ortus, & Occasus Solis; Meridiei, & Medinoctij, quoad horas Italicas, & Babylonicas; quæ latitudines Ortiuæ, & Occiduæ; quæ Altitudines Solis, & circumferentiæ, seu Arcus Horizontales Verticalium, pro singulis horis.

Supponantur enim omnia delineata in apposito Diagrammate, eodem modo se habere, ac in præcedenti.



Præterea omissis reliquis parallelis, & Solaribus radijs ad euitandam confusionem, Centro G, communis sectionis Tropici Cãcri, cum Mundi Axe, super eiusdem Tropici diametro C D, describatur circulus, I D L C; qui, ducta per punctum K, communis sectionis paralleli, C D, & Horizontis, H O, recta, I K L, parallela ad Mundi Axem, B A; diuidatur in partes 24. æquales, ordiendo numerationem ex puncto, I: tum singulis diuisionibus, proprij addantur numeri, exteriores quidem pro horis Italicis, & interiores pro Babylonijs. Quibus positis.

6 L C I, est Arcus diurnus, seu Maximi diei magnitudo, sub Altitudine Poli gr. 45. horarum nempe 15. m. 26.

7 L D I, Arcus Nocturnus Minimæ noctis, horarum 8. m. 34. & consequenter L, est punctum Orientis Solis; Æstiui quidem, hor. 8. 34. Hyemalis verò hor. 15. 26. I, punctum Occasus.

8 C. Punctum Meridiei Italici, hor. 16. 17. & Babylonici hor. 7. m. 43.

9 D. Punctum Medinoctij Italici hor. 4. 17. & Babylonici hor. 19. m. 43. Quæ omnia si è contra sumantur, nempe Dies pro Nocte, & Nox pro Die, Circulus idem paralleli Cancri deseruiet etiam pro opposito Ca

pri-

pricorni; ita vt tempus Meridiei, Sole lustrante Cancrum, sit Medinoctium, dum Sol percurrit Capricornum, & tempus Æstiui Medinocti sit Hyemalis punctum Meridiei; Quod proportionaliter de reliquorum signorum parallelis intelligatur.

10 V M. Arcus latitudinis Ortiuæ, vel Occiduæ, gr. 34. m. 20. numeratus inter Verticalem T V, & lineam K M, excitatam perpendicularem Horizonti, H O, ex puncto K, communi sectione paralleli Cancri, C D, & Horizontis, H O.

11 Deinde si à punctis horarijs Circuli I D L C, Cancri, ducantur ad proprium diametrum, C D, perpendiculares occultæ; veluti, 21 *x*. 13 *a*; & per punctum sectionis earum cum diametro, ducantur binæ parallelæ; Vna ad Horizontem, H O, sicut, *xy*, & *ab*; Altera ad Verticalis Diametrum, N V, veluti, P*q*, & *cd*, in quibus Centro P, vel D, ad interuallum occultæ perpendicularis propriæ horæ signetur punctum: vt interuallo, 21 *x*, in P Q, ex P, notetur punctum R, & in, *c d*, interuallo, 13 *a*, ex *d*, notetur *e*, per quæ puncta ducantur rectæ à Centro, T, ad circumferentiam, V H N O; quales sunt T X S, & T*ef*, erunt.

O Y Arcus Altitudinis Solis in principio Cancri hor. 21. quæ Alt. est grad. 29. m. 42.

H *b*, Arcus gr. 44. m. 52. Altitudinis Solis ibidem existentis hor. 13.

V S. Arcus Horizontalis, seu circumferentia hor. 21. prædictæ gr. 4. m. 31.

V *f*. Arcus Horizontalis hor. 13. dictæ. gr. 11. m. 31.

Cognoscitur autem Quantitas Arcuum per Quadrantem mirificum, descriptum supra, *Episagog 2. lib. 1. cap 2. Prax. II.* vel per Sinus.

12 Si quis tandem Vmbrarum longitudines cupiat. In Axe Verticalis, V N, erecto Gnomone, *g* T, ita vt illius vertex sit in Vniuersi Centro T; supra, & infra diametrum Horizontis, H O, ducantur parallelæ, M ♋, & *b* ♑, interuallo longitudinis assumpti Gnomonis; erit, *b* ♑ terminus Vmbrarum pro Tropico ♑; & M ♋, pro Tropico ♋. Posita enim regula super centrum T, & super punctum Peripheriæ, V H N O, vbi terminatur datæ horæ parallela ad Horizontem, puta Y, punctum Sectionis parallelæ X Y, hor. 21. & ducta linea occulta T Y, erit vmbra quæsita, T 21. Et sic in cœteris; Nam eadem Methodo reliquæ omnium horarum Altitudines, Azimutha, & Vmbræ cuiuscunque paralleli patescent.

13 Diuisiones verò dati paralleli Cancri, qui etiam pro Capricorno deseruiet, ad horas Astronomicas, & Inæquales designandas, sequentia Diagrammata ob oculos ponunt.

vtrumque planum, ſcilicet, Æquatorij, & horæ ſextæ, Meridianum, HVON, ſecant ad angulos rectos; Sectioni, MD, communi eiuſdem Meridiani, & plani ſubiecti, XY, ambæ rectæ ſunt (*per propoſ* 19. 11. *lib. Euclid.*) Nam ſi concipiatur planum Meridiani, HVON, (immoto manente plano, XY,) moueri circa Sectionem, MD, ad occaſum verſus, donec, V, Vertex in ſublimi quieſcat, congruatque cum Vertice naturali, & planum Meridianum totum cum plano Meridiani cœleſtis: manifeſtum, eſt, quod Sectio, LKP, Æquatoris veniet in RKZ; & Sectio, ECF, horæ ſextæ, congruet cum Sectione, GCI, ac proinde rectè ipſi, MD. *Def.* 15. *cap.* 3. *huius libri*.

9 Ex quibus ad reliquas Sectiones eiuſmodi horographicas explicandas, iam ſatis plana ſubſtermitur via; & elucet quomodo Sphærica Doctrina, necnon Sectiones Sphæricæ mirum in modum Horographiæ deſeruiant.

De Sectionibus Conicis. Caput VIII.

1 CONus eſt Figura Solida, quæ fit ex circumuolutione triãguli rectanguli, vno latere eorum, quæ circa rectum ſunt angulum, quieſcente. 18. *Def.* 11. Vt, ſi triangulum, ABC, circa latus, AB, quieſcens circumducatur, donec integram reuolutionem expleat.

Fig.ª 27.



2 Axis Coni, eſt quieſcens linea illa, circa quam triangulum vertitur, nempe, AB. 19. *Def.* 11.

3 Baſis Coni, eſt Circulus, qui à circumducta linea deſcribitur. CEDF. 20. *Def.* 11.

4 Vertex Coni eſt punctum A.

5 Duplex Conus diſtinguitur, Rectus, qui & Iſoſcelius, Æquicruriſque appellatur; & Scalenus, qui obliquus quoque dicitur. Conus Rectus, cuius Axis ad baſim rectus eſt; Scalenus verò cuius Axis, eſt ad baſim inclinatus.

6 Coni oppoſiti, ſunt ad verticem, circa eumdem Axem exiſtentes. Vt, TCD, TEF, *in figura ſequenti*.

7 Sectio Conica, eſt figura à plano diuidente Conum, in ſuperficie Coni effecta. Et eſt quadruplex; Per Axem, Circulus, Parabola, Ellypſis, & Hyperbola.

8 Quæ vt ad inſtitutum noſtrum applicemus, ſciendum eſt, Solem ſuos parallelos motu Primi Mobilis, ſiue diurno percurrentem duos Conos oppo-

ſitos

rum, & plani ſubiecti, in quo horologium Solare delineatur. Si namque duo plana ſe mutuo ſecent (*ex propoſitione tertia vndecimi Euclidis*) communis eorum ſectio ſemper eſt linea recta. Nos itaque Sectiones eiuſmodi vocamus Sphæricas, non quidem à forma, ſed à cauſa efficienti, quippe quæ à planis circulorum maximorum Sphæræ in ſubiecto plano efficiuntur. Et de ijs loquimur in præſenti *de Conicis acturi in ſequenti capite*.

Quoniam verò ex circulis maximis in quouis Mundi Hemiſphærio, alij ſunt immobiles, & immutabiles, & alij Mobiles, quod ex cœlorum circumuolutione aliò, atque aliò ferantur; ſciendum eſt, immobiles tantum in plano deſcribi poſſe per lineas rectas, hoc eſt, per illorum ſectiones communes cum plano ſubiecto, ac tales cenſentur omnes Horarij, cuiuſcunque Generis, Verticales, Horizon, Æquinoctialis, cœterique maximi Sphæræ; proindeque mobiles propriè in plano Horologij, per certas ſectiones deſcribi non poſſunt; ſicut Zodiacus, & circuli longitudinum, & latitudinum.

Fig. 26.



2 Sit igitur in appoſito Diagrammate datum planum quodcunque Horizontale XY, ſub lat. Poli Borealis, gr. 45.

3 HVON, ſit circulus, ſiue planum Meridiani. Recta, MD, erit communis Sectio eiuſdem, & Subiecti plani XY; ac proinde Meridiana plani; & linea horę duodecimæ aſtronomicæ; cuius circulus horarius ſemper eſt Meridianus loci; vt patet *ex cap.* 3. *num.* 10.

4 HTO, eſt communis Sectio Meridiani, & Horizontis, cui planum datum, XY, æquidictat totã longitudinem ſtyli, ST.

5 ÆTQ, eſt Sectio communis plani Æquatoris ÆPQL, & Meridiani HVON.

6 BTA, Sectio communis Axis Mundi, ſiue Plani BEAF, circuli h. ſextæ, & Meridiani, HVON.

7 LKP, eſt Sectio communis plani Æquatoris, ÆPQL, & plani Subiecti, XY.

8 ECF, Sectio communis plani horæ ſextæ, BEAF, & plani ſubiecti, XY. Quæ duæ Sectiones, quoniam (*per propoſ.* 15. *& eiuſdem Coroll. lib.* 1. *Theod.*)

ue in Sphæra parallela. Patet hæc propoſitio per 16.11. *Euclidis, & per* 4. 1. *Gnomonicæ Clauij*. Nam in Sphæra recta, & obliqua Sol exiſtens in Æquatore deſcribit lineam rectam. Vide infra *lib.2. cap.3. propoſ.4. Coroll.3.*

11 Parabolâ fit cum planum ſecans, vni lateri Coni ſecti parallelum adigitur. Vt in appoſita figura ſectio communis plani, P G, & Coni, E T F, eſt parabola, M S N; Cuius centrum eſt O; Axis, S O; & Baſis, M N; Planum autem P G, parallelum eſt lateri, E T, necnon circulo maximo, D T E, Baſes, C D, E F, ſuperficierum Conicarum tangenti, in D, & E, *Clauius Gnomonicæ libro primo, propoſitione quinta.*



12 Ellypſis, H T, contingit quando planum, P G, ſectionis per Axem, veluti, E T F, latus vtrumque, E T, F T, ſecat. Quod fit ſi planum Conotomum æquidiſtet circulo maximo, R S, qui neque Baſibus ſuperficierum Conicarum æquidiſtat, neque eas tangit, neque ſecat. *Demonſtratur à Clauio. Gnom. lib. 1. propoſ. 7.*



13 Hy-

13 Hyperbolæ oppoſitæ, & æquales fiunt, ſi planum, P G, Conotomum; ſit parallelum circulo maximo, R S, qui Baſes; C D, E F, Conicarum ſuperficierum ſecat. Veluti Hyperbolæ, H I K, & L O M. *Clauius Gnomonicæ libro primo, propoſitione ſexta.*

Fig. 31.



14 Quæres autem, vnde abſque Analemmatis deſcriptione cognoſci poterit quamnam ſectionem Conicam in dato plano Sol Gnomonis vmbra deſcribat?

15 Reſpondeo, id facillimè innoteſcere ex Altitudine Poli ſuper datum planum. Nam

Si planum eleuationem Poli nullam habeat, vt Horizontale quodcunque in Sphæra recta; vel ſi habeat, ea gradibus complementi declinationis paralleli, in quo Sol verſatur, ſit minor, Hyperbolas Gnomonis vmbra deſcribet.

Eſt autem complementum Baſium Hyperbolarum Cancri, & Capricorni graduum 66. m. 30. Tauri, Scorpionis, Virginis, & Piſcium graduum 78. m. 29. Geminorum, Sagittarij, Leonis, & Aquarij graduum 69. m. 47. Ratio patet *ex num. 9. & 13.*

16 Sin verò Polus eleuetur prædictum complementum declinationis, ad vnguem, ſectio communis plani dati, & Solaris Coni, erit Parabola, vt apparet *ex numero 7.*

17 Si eleuatio Poli ſuper planum ſit prędicto complemento declinationis dati paralleli maior, minor tamen grad. 90. Sectio communis erit Ellypſis; veluti in *numero 8.*

18 Si tandem Polus eleuetur grad. 90. velut in Sphæra parallela, Sectio communis Gnomonicæ, Sole in quouis parallelo exiſtente, circulus euadet. Vt in *numero 6.* Nota.

19 Quæ Regulæ ſemper de eleuatione Poli, non Regionis, ſed ſuper planum Gnomonicum datum intelligantur; niſi vtraque eleuatio coincidat; vt in planis Horizontalibus, & Verticalibus directis.

De Descriptione Sectionum Conicarum in planis Gnomonicis. Caput IX.

1 SEctio per Axem à Conis ipsis repræsentatur in descriptione Analemmatis; vt videre est supra *Capite sexto*. Nam Basis est signi parallelum; Vertex, centrum Terræ, seu styli Apex; latera vero, Solis radij, sese in Apice styli decussantes, & producti quoad Basim pertingant.

2 Sectio Conica circulus, si Analemma rectè adhibeatur; nullo fere negotio describetur. Vide infra *lib. 2. cap. 10.*

3 Ideò tota difficultas remanet in descriptione Parabolæ, Hyperbolæ, & Ellypsis. Pro cuius enucleatione præmittendum est, ex Apollonio, Quid sit Diameter Figuræ curuilineæ, & quotuplex; Quid, & quotuplex Axis, &c.

4 Diameter Figuræ curuilineæ, in eodem plano descriptæ, est linea recta diuidens parallelas quaslibet intra sectionem ductas. Triplex est; Primaria, Secundaria, & Transuersa.



5 Diameter Primaria, seu principalis, quæ & Axis dicitur, est illa, quæ prædictas parallelas bifariam, & perpendiculariter, idest ad angulos rectos, diuidit. Vt A B, parallelas, G H, E F, C D, &c. perpendiculariter diuidens.

6 Diameter Secundaria, quæ & Axis coniugatus, est illa, quæ parallelas bifariam quidem, at non perpendiculariter diuidit.

7 Transuersa Diameter est illa, quæ inter duo crura trianguli per Axem intercipitur. Talis est in Hyperbola (*in Figura superioris capitis numero 9.*) I O, quæ inter crura sectionis per Axem, F T, T D, intercipitur; & in hac Sectione est Diameter prolungata. At in Ellypsi est ipsa Diameter absque vlla prolungatione; vt, I H, *in Figura numero 8. eiusdem capitis*. Quæ si sit Diameter primaria, seu Axis, dicatur Transuersus Axis. In Parabola verò, cum eius sectio sit parallela vni cruri sectionis per Axem, ac proinde nunquam possit in aliud terminare, nulla est transuersa Diameter. Vt patet *in Figura 2. eiusdem capitis numero 7.*

8 Ordinata, quæ etiam applicata, & ordinatim applicata, & chorda vocatur, est vna quælibet parallelarum à Diametro bifariam diuisarum. Vt G H, E T, &c. *in præmissa Figura huius capitis*. Communiter tamen intelligitur eius dimidia pars, vt G I, & E K.

9 Vertex sectionis est extremitas Axis; vt punctum, A.

10 Sagitta est segmentum Diametri inter applicatam, & verticem interceptum. Vt, I A, est Sagitta applicatæ, G I, seu, G K.

11 Centrum, est quod transuersam Diametrum bifariam diuidit. Vt punctum,

ctum, N, in Tranſuerſa Diametro, I O, Hyperbolæ, *in ſuperiori capite, numero* 13.

Vocatur centrum, quia in Hyperbolæ, vel Ellypſi omnes Diametri ad illud punctum concurrant. Parabola verò nullum habet centrum, quod in ea Diametri omnes ſint paralleli; vt patet *ex propoſitione* 8. *lib.* 1. *Conicorum Apollonij, apud Dechales.*

12 Parameter, ſeu latus Rectum, eſt linea in extremitate Diametri, ad Diametrum perpendiculariter ducta, qua vtimur tanquam menſura ad metiendum quadratum applicatarum. Vt ſi linea, A L, ſit perpendicularis ad Diametrum, A B, oſtendamuſque, quam rationem habeat quadratum cuiuslibet applicatæ, E K, ad rectangulum comprehenſum ſub Sagitta, K A, & Parametro, A L; erit A L, parameter figuræ.

13 Vmbilicus, ſeu Focus, & Polus, eſt punctum in Axe ſectionum, ad ipſarum conſtructionem, &c. qui in Hyperbola, & in Ellypſi geminus eſt; vnicus verò in Parabola. Sic dictus, quod peculiares habeat proprietates; in primis, quod omnes radij Axi paralelli in eo vniantur. Qua de re videatur *propoſ.* 31. *lib.* 1. *Conicorum, apud Dechales.* His præmiſſis.

PROPOSITIO PRIMA.

Parabolam Sciathericam deſcribere.

14 PRoblematis huius ſoluendi, non vna eſt methodus; ſemper tamen eius vertex præſupponitur notus; inſuper aliquando, & Parameter, & Focus; pro quorum indagine.

Sit, A B C, Conus Gnomonicus, A P, Axis Mundi; D E, Parabolæ ſectio à plano Conotomo effecta.



15 Dico primum, D E, eſſe futuræ Parabolæ Axim; *propoſitio duodecima, & decimaquarta lib.* 4 *Conicorum Dechales.*

16 Secundo, D, eſſe Paraboles verticem. Patet *ex Def.* 9. *huius capitis.*

17 Deinde ſi ducatur per verticem, D F, Conicæ Baſi, B C, parallela; fiatque, D G, ipſi, D F, æqualis; & eidem Baſi, B C, agatur parallela, G H; Dico tertio hanc ipſam, G H, eſſe æqualem Parametro, ſiue lateri recto, D I. Patet *ex Corollario* 2. *propoſ.* 12. *lib.* 4. *Conicorum Dechales.*

18 Tandem in Axe, D E, ex vertice, D, in, K, accipiatur quarta pars Parametri, D I; Dico quarto, K, eſſe Focum, ſiue Polum Parabolæ. Patet *ex Definitione.* Nam Vmbilicus Parabolæ eſt punctum in Axe, diſtans à vertice quarta parte Parametri, ſeu late-

ris

ris recti. His habitis accedamus ad descriptionem Parabolæ, idque duplici via.

METHODVS PRIMA.

Datis Vertice, D, & Vmbilico, K.

19 EXtendatur Axis, siue Diameter, DE, supra verticem, D; & ex, D, accipiatur interuallum, DK, in L. Deinde plurima alia puncta, M, N, O, &c. & per illa applicentur perpendiculares, QR, &c. Deinde interuallum, exempli gratia, O, & L, centro facto in Vmbilico, K, ducentur arcus, Q, & R; & vbi secant perpendicularem, ibi transibit ambitus parabolicus.

Demonstratur. Quia ex doctrina Conicorum, omnis linea, quæ ducitur ab Vmbilico ad applicatas (qualis est, QR, & reliquæ perpendiculares) est æqualis distantiæ eius à Vertice, in Diametro sumptæ, & insuper distantiæ, quam Vmbilicus habet à vertice.

SECVNDA METHODVS.

Dato tantum Vertice.

20 SIt ABC, Triangulus Gnomonicus; DE, Sectio Parabolica, & reliqua, *vt in præcedenti Methodo.*



Præterea per singula puncta, M, N, O, &c. ducantur, HL, RT, VX, parallelæ Basi, BC; quæ sint Diametri semicirculorum VML, RMT, &c. intra quos è sectione communi parallelarum, & Axis, DE, sectionis parabolicæ, cadant perpendiculares, TM, NM, OM.

Dico perpendiculares huiusmodi esse medias proportionales; vt patet *ex propos. 13. lib. 6.* MZ, quidem inter YZ, ZL; MN, inter RN, NT; MO, inter VO, & OX. Ac proinde si singulæ transferantur hinc inde super perpendiculares, siue applicatas sectionis, DE; veluti, MZ, ex Z, in S, hinc, & illinc; MN, super NS, &c. Dico Figuram, DSSSS, parabolam esse.

Demonstratur. Quadratum, SZ, æquale est rectangulo YZL; Quadratum, SN, rectangulo, RNT, &c. habent autem Altitudines æquales, OX, NT, ergo rectangulum, VOX, ad rectangulum, RNT, se habet, vt, VO, ad RN, seu, vt, VOD, ad ND, &c. ergo quadratum,

SO, ad

SO, ad quadratum, S N, &c. ſe habet vt Sagitta, O D, ad Sagittam, ND. Quod ſi vlterius determinare velis, fiat vt quadratum B C, ad rectangulum B A C, ita A D, ad Parametrum; vel viciſſim.

PROPOSITIO SECVNDA.

Ellypſin deſcribere.

1 SIt A B C, Triangulus Gnomonicus. DB, Sectio Ellyptica; quæ diuidatur in quotcunque partes, I, N, K. Deinde per ſingula puncta diuiſionum agantur Baſi, B C, parallelæ, E F, G H, & applicatæ, O I; MN; LK, æqualis medijs proportionalibus, I P; vt *in Secunda Methodo ſuperioris propoſitionis*. Tum per puncta D, O, M, L, B, per *praxim V. cap. 2. Epiſag. 2.* deſcribatur Arcus. Dico Figuram, D O M L B, eſſe Ellypſin.

Fig.ª 35.



Demonſtratur. Quadrata, I O, N M, &c. ſunt rectangulis, E I F, G N H, &c. æqualia. Ratio autem rectanguli, E I F, ad G N H, componitur ex ratione, E I, ad G N; ſeu, I B, ad B N, & I F, ad N H, ſeu I D, ad I N, ſed ratio rectanguli D I B, ad rectangulum D N B, ex ijſdem componitur, nempe ex ratione I D, ad D N, & ex ratione I B, ad N B; ergo ita eſt rectangulum F I B, ad rectangulum G N H, ſeu quadratum I O, ad quadratum N M, vt rectangulum D I B, ad rectangulum D N B; ergo per definitionem Ellypſeos, D O M L B, eſt Ellypſis.

METHODVS ALTERA.

Ellypſin deſcribere, datis Vertice, & Vmbilicis.

2 VErtex Ellypſis vterque, in Gnomonicis ſemper ex Analemmate manifeſtus eſt: vt hic D, B. Itidem Axis maior, D B; & Semiaxis mi-

nor N M, cum sit æqualis mediæ proportionali N P, vt patèt *ex præcedenti Methodo.*

3 Foci verò, siue Vmbilici, I, K, habentur si medietas maioris Diametri, veluti, B N, transferatur ex alterutro minoris Diametri extremo, M, vtrinque in Axem Maiorem, B D, ibique punctum imprimatur. Quæ omnia patent *in præcedenti Figura.* Ratio est, quia linea ab Vmbilico, ad extremitatem minoris Axis ducta, æqualis est Semiaxi maiori; per *propos. 43. lib.2. Conicorum Dechales.*

4 His itaque præcognitis, producatur Axis maior, D B, vltra Verticem B, in C, interuallo K B; Deinde centro I, ducantur plurimi gyri, interuallo non maiori, quam I B, nec minori, quam I D; veluti gyrus E F. Rursus interuallo C, & cuiuslibet ex circulis ductis, facto centro in Vmbilico K, alij circuli ducantur, vt H F, interuallo C E; Dico punctum intersectionis F, & omnia alia similia, esse in circumferentia Sectionis Ellypticæ.

Fig.36.



Demonstratur. Quia duæ lineæ ab Vmbilicis ad ambitum inclinatæ, simul sumptæ debent esse æquales Diametro transuersæ; Tales verò sunt K G, & G H, & reliquæ omnes similiter sumptæ; ergo &c.

PROPOSITIO TERTIA.

Hyperbolam describere.

PRIMA METHODVS.

Dato solo Vertice:

1 HÆc Methodus non differt à Secunda Parabolæ, scilicet per Medias proportionales; velut *in proposit. 1. numero 20. huius capitis.*

S E-

SECVNDA METHODVS.

Fig.ª 37.



2 SIt A B C, Triangulus Gnomonicus; A D, eiuſdem Axis. G F, Sectio Hyperbolica, ſiue eius Diameter *primaria*. G E, Diameter tranſuerſa; Ac proinde G, E, Vertices vtriuſque Hyperbolæ oppoſitæ.

3 Pro indagine autem Vmbilicorum, ſumpta quæcunque K L, Media proportionalis inter H K, & K I, (*ex propoſ. 13. lib: 6. Elem.*) applicetur Diametro, G L, Sectionis, perpendiculariter ex K, in M; Deinde Portioni K V, Diametri interceptæ, & applicatæ K M, reperiatur tertia proportionalis K O, (per *Coroll. 8. lib. 6.*) Cui ducta per verticem, G, parallela, G Q, a b extremo, E, Diametri tranſuerſæ, ducatur E O, ad O, quæ ſecabit G Q, in P; Dico, G P, eſſe Parametrum.

Pro cuius demonſtratione; Nota, Parametrum ſumi extra Sectiones pro menſura quadratorum applicatarum; In parabola enim rectangulum comprehenſum ſub Parametro, & Sagitta, eſt applicatæ quadrato æquale.

In Ellypſi quadratum applicatæ deficit à rectangulo ſub Sagitta, & Parametro.

In Hyperbolæ verò inſuper abundat Figura, P O, ſimiliterque poſita. Et inde iſtæ Figuræ nomen ſortitæ ſunt. Nimirum Parabola, æqualis: Ellypſis, deficiens, ſiue defectus: & Hyperbolæ, excedens, ſiue exceſſus. His poſitis.

Demonſtratur. Applicatæ *K n*, ſicut *K m*, quadratum eſt æquale rectangulo, ſub ipſa, G P, & portione Diametri interceptæ K G; abundante Figura, P O, (quæ in Ellypſi deficit;) ergo, G P, ex definitione, conſtat eſſe Parametrum.

Habitis Parametro, G P, ac Diametro tranſuerſa, G E; rectangulo ab illis comprehenſo inueniatur quadratum æquale, (*ex 13. lib. 2. Euclid.*) ſeu Media proportionalis G Q, (*ex 13. lib. 6. Euclid.*) Quæ diuidatur bifariam

in S: factoque centro in R, (quod est Centrum Hyperbolarum) interuallo, R S, describatur circulus, T S V Y, hic dabit Vmbilicos T, V.

Demonstratur. Nam quadratum ex G S (*per 49. lib. 3. Conicorum Dechales,*) æquale est quartæ parti Figuræ; Sed rectangulum, T G V; seu, E V G, æquale est quadrato, G S; vt patet; demonstraturque à *P. Dechales, loco modo citato, propos.* 50.

4 Practicè verò ducatur, R Y, lateri Conici, A B, parallela, donec Axi, A D, occurrat in Y; & per hoc punctum Y, centro R, describatur idem circulus, S T V Y, & vt prius signabuntur Vmbilici T, V.

5 Datis itaque Vertice, & Vmbilicis, Secunda Methodus hyperbolæ describendæ hæc esto.

Lineæ, V G, accipiatur æqualis, G X; Deinde centro T, ducantur plurimi gyri, interuallo maiori, quam T G, quorum vnus sit *m* & *n*; rursusque, interuallo, X, & quolibet ex circulis ductis, veluti, &, facto centro in Vmbilico, V, alij circuli, siue arcus ducantur, qui priores secent, veluti in *m*, & *n*. Dico per puncta eiusmodi descriptam Figuram, esse Hyperbolam.

Demonstratur. In Hyperbola (*ex communi Conicorum Doctrinâ*) ex duabus lineis ab eodem Sectionis puncto *n*, ductis ad Vmbilicos, T, & V; maior, *n* T, minorem, *m* V, transuersæ Diametri, E G, quantitate superat: Sed hoc in præsenti contingit; nam ipsa T *n*, est æqualis ipsi, *n* V, & præterea Diametro transuersæ, N E; ergo punctum, *n*, & quodcunque simile, est in superficie Sectionis Hyperbolæ describendæ.

6 Aliter. In Axe Hyperbolæ, G F, plura signentur puncta, quouis interuallo, vel scilicet æquali, vel inæquali, nihil refert; vt, puncta K, &, &c. Deinde Circino accipiatur distantia à quolibet puncto, K, ad Verticem, primò, G, posteà, T. Distantia, K G, facto centro in Vmbilico, V, describatur arcus versus, *f*; & distantia, K T, facto centro in Vmbilico, T, versus itidem, *f*, alius describatur arcus, primum secans. Dico punctum decussationis arcus vtriusque ad Hyperbolæ superficiem pertinere. Exemplum habes etiam *lib. 2. cap. 5. prax. III. & cap. 6 prax. IV. num. 2.*

Demonstratio est eadem, ac superioris modi.

Finis Liber Primus Isagogicus.

LIBER SECVNDVS HOROGRAPHICVS.

GNOMONICES BIFORMIS

PARTIS PRIMÆ

LIBER SECVNDVS HOROGRAPHICVS,

Geometrico-Arithmeticus, Theorico-Practicus; Sciatherica omnigena: hoc est, Horologia Solaria omnia in quacunque Sphæra positione Geometricè, & Arithmeticè delineans.

Quid sit Gnomonica, & quotuplex; Quid sit Gnomon, quotuplex, & qualis. Caput Primum.

1 ARS Gnomonica est certa, & demonstratiua motuum Cœlestium, in plano, aut superficie, ope Gnomonis repræsentandorum facultas.

2 Gnomon Græcè, à quo dicta est Gnomonica, Latinè Cognitor, & Index, est in Horologio id omne, ex cuius vertice, vmbra, vel radius lucis, Index horarum in Horologij superficiem directè, siue reflexè, aut refractè cadit.

3 Cur autem Stylus, siue Index horarius antiquis Mathematicis dictus fuerit Gnomon, explicat *Vitruuius lib. 9. cap, 8.* quòd scilicet cum linea substylari in plano Horologij Normam efficiat. Est enim Norma, siue Gnomon (vulgò *Squadra*) nihil aliud, quàm linea perpendiculariter cadens super aliam iacentem. Vt deducitur *ex Euclide Def. 2. 2. & ex dictis supra lib. 1. Episag. 2. cap. 1. Prax. 4. & 6.*

4 Hinc loco simplicis styli in Horologijs, præsertim Astronomicis, Germanicis, &c. solet adhiberi triangulus rectangulus, in quo cathetus, idest perpendiculum, simul cum Basi, angulum rectum, & normam constituit. Vide *infra Def. 28. & 29. cap. 3. huius libri.*

5 Gnomon triplex est, Opticus, Catoptricus, & Dioptricus; vnde & triplex oritur Gnomonice.

6 Gnomon Opticus (qui simpliciter vocatur Gnomon, siue stylus) est à quo recta cadit linea lucis, vel vmbræ, vnde Gnomonica simpliciter dicta; siue Optice horaria.

7 Gnomon Catoptricus est, à quo lux, vel vmbra reflexè emittitur è Speculo, vnde Gnomonice Catoptrica, siue Catoptrice horaria.

8 Gnomon Dioptricus, est, ex quo lux, vel vmbra refractè proiecta Horologij superficiem ferit, vt in aqua; vnde oritur Gnomonice Dioptrica, seu Dioptrice horaria. Quas omnes Gnomonicæ species disertissimè prosecuti sunt *P. Emmanuel Maignan, in sua perspectiua horaria, & P. Milliet Dechales in suo cursu Mathematico, tom. 3. tract. 25.* Nos autem hic prioris tantùm partis breuem hanc contexemus Synopsin.

9 Porrò Gnomon secundùm varias formas confici potest, siue in modum styli communis, acutam in cuspidem desinentis; siue in modum rotundæ, vel quadratæ Pyramidis; aliàs in modum Colubri, aut Sagittæ, Aquilæ, vel alterius volucris, Solem intuentis; ipso autem rostro, vel capite vmbram in horarium emittentis; & infinitis alijs modis; vt pulcherrimè ostendit citatus *Maignan in dicto opere, lib. 1. propos. 7.*

Quid sit Horologium, & de Horologiorum varijs generibus. Caput II.

1 HOrologium, siue Horarium (sic dictum, quasi horarum ratio,) est instrumentum, quo horæ ad nostros communes vsus designantur. Vt *supra cap. 7. Episag. 3. lib. 1.* explicatum fuit.

2 Horariorum varia sunt genera, Naturalia, scilicet, Artificialia, Mixta, Geometrica, & Arithmetica.

3 Ex naturalibus in primis Oceanus fluxu reciproco diem naturalem quatuor dirimit interuallis: Euripi recurrentes æstus, bis septena in die tempora distinguunt: Dierum breuitatem, & augmentum; Solis ortum, & occasum; meridiem, & mediam noctem, &c. multis in locis, fontes aquarum feruore, frigore, atque tepore: alij dulcedine, & amaritudine; alij redun-

dantia,

dantia, atque inopia, vicissitudine, nunquam fallente, demonstrant. In Comensi iuxtà Larium lacum, fons largus horis singulis semper intumescit, ac residet. *Plin. Naturalis Hist. lib. 2. cap.* 103. Vicena quaterna diei tempora æqualiter metitur Lers fons apud Tolosam. *Maignan perspectiua Horaria lib. 1. propos. 1.*

4 Manui ipsius hominis sinistræ Horologium inest pro Horis Astronomicis seu à meridie, & à media nocte, quibus Hispani, Galli, Germani, alijque plerique Europæi vtuntur, cuius praxis à Gaspare Scoto, Ioco-Seriorum Naturæ, & Artis, *lib. 1. centuria 3. prop. 2.* sic describitur.

Quouis anni tempore, ac die, dieique hora, Sole lucente extende manum sinistram, ita vt palma in dexteram partem spectet. Deinde inter pollicem, & indicem digitum, directè supra lineam vitæ constitue stipulam rectam, cuius pars prominens versus palmam adæquet Indicis longitudinem, & angulos rectos ex omni parte cum manu constituat.

His factis, auersus à Sole tandiù corpus totum cum manu extenta flecte huc, atque illuc, donec extremitas vmbræ, quam tuberculus pollicis in volam manus proiecit, coæquetur penitùs lineæ vitæ, ac veluti ab eâ absumatur. His factis, vide in quem digitum cadat vmbra stipulæ, & habebis horam quæsitam, dummodo scias quæ hora circiter Sol illo die exoriatur. Nam si cadat in extremitatem Indicis, est hora ortus Solis, verbi gratia, hora sexta; si in extremitatem medi digiti, est hora proxima ab Ortu Solis, verbi gratia, septima; si in extremitatem annullaris, est octaua; si in extremitatem minimi digiti, est nona; si in primam iunctuam eiusdem minimi (inchoando ab eius extremitate) est decima; si in secundam iunctuam est vndecima; si in tertiam, est duodecima, seu Meridies. Post Meridiem, si iterùm cadit vmbra in secunda minimi digiti iunctuam est hora prima; in primam, est secunda; si in extremitatem minimi digiti, est tertia; si in extremitatem annullaris, est quarta, &c. si hora quinta Sol oritur, aut hora septima, eodem modo horæ numerantur, sed tunc Meridies, seu hora duodecima cadit, in primo casu, in primam lineam, quæ occurrit in vola post minimum digitum; si in secundo verò casu, in tertiam iunctuam prædicti digiti.

5 Aliud Horologium Naturale itidem ex manibus docet idem *Scotus vbi supra propos. 3.* hoc pacto.

Si contractis reliquis digitis erigas perpendiculariter duos Indices, duos verò pollices extentos coniungas in vnam lineam rectam Horizonti parallelam, prout aliquo modo in apposito Schemate apparet. In quo A B, & D C, sunt Indices erecti; at B E, & C E, sunt pollices extenti, atque coniuncti extremitatibus suis, E. Stantibus hoc situ digitis, si vnum, exempli gratia, D C, obuertas Soli, vt vmbra eius cadat in A B, aut in B C; disces horam quæsitam. Nam si vmbra extremitas cadit in A, nimirum in extremitatem alterius digiti; est hora sexta matutina; Si in primam iunctuam Indicis A B; est hora septima; Si in secundam, est octaua; Si in tertiam, est nona; Si in lineam Vitæ, est decima; Si in iunctuam pollicis, cum palma, est vndecima; Si in alteram iunctuam pollicis; est duodecima; post quam inuerso ordine reditur eisdem vestigijs ad primam, secundam, &c.

Fig. 39.



Alia tandem non minus curiosa Naturalia Horologia indicantur *à P. Kircherio Art. Magn. Lucis, & Vmbra, lib. 10. præcipuè part. 1. problem. 24.*

6 Artificialia purè sunt, quæ versatilibus tympanis, ac libratis ponderibus, rotas denticulatas, eisque implicitum horarium Indicem circumagunt, & horas ipsas, percussis ad numerum cymbalis, denuntiant: quorum Structuram complexus est P. Ioseph à Capriglia Capucinus, facili, ac breui Tractatu, inscripto: *Misura del Tempo, &c.*

7 Artificialia mixta ex naturalibus, ea sunt Horaria, quæ Elementorum ope, videlicet Arenæ, Aquæ, Aeris, & Ignis formantur. Ex quibus antiquissima sunt Arenaria, & Hydraulica, quæ Clepsydres appellabantur. Vnde sæpè legimus, Oratoribus tres, aut quatuor Clepsydras, idest horas, olim ad dicendum fuisse concessas. Et in his laudatus fuit mirum in modum (referente *Vitruuio lib. 9. cap. 9.*) Ctesibius Alexandrinus. In omnibus autem maximè excellit hac nostra ætate egregius Doctor, ac Mathesiphilus D. Dominicus Martinellus, Auctor libri cuius titulus: *Trattato degli Horologi Elementari.*

8 Astronomica Horologia sunt instrumenta circulos Horarios varijs Perspectiuæ legibus exprimentia, eo ordine, vt luce sua Sol reddat ipse rationem Itineris sui; sitque horarum artifex idem, & ostensor fidelissimus. Huiusmodi sunt Astrolabium Ptolemæi; Planisphærium Ioannis Royas; Astrolabium Catholicum; & Annulus Gemmæ Frisij, & alia apud *Vitruuium lib. 9. cap. 9.* Præterea, Quadrantes, Cylindri, Annuli, Noctilabia, Bilimbata, & alia infinita.

9 Geometrica, quæ & Gnomonica Horaria Solaria dicuntur, sunt ea, quæ

fiunt obseruatione motuum vmbræ è Stylo, seu Gnomone decidentis; vel obseruatione motuum ipsiusmet radij per aprati verticem Gnomonis, tum directè, tum reflexè, atque etiam refractè emissi.

Ex ijs, quæ ex vmbra sola Horas mostrare dicimus, speciali nomine, Sciatherica appellantur, à Skias græcè, idest Vmbra, & Thiran, latinè venari, & indagare. Si verò Solis radius luminosus tenui foramine exceptus, in occluso cubiculo horas indicat, Horologia Actitherica, proprio vocabulo dici possunt: Sed vtraque Sciatherica, & Actitherica, communi, si placet, nomine, vocentur Optica.

10 Horariorum Solarium Geometricorum est multiplex differentia. Nam

Alia sunt Horarum Æqualium, & alia Inæqualium.

Æqualium Horarum, est vel Astronomicum, vel Ægyptiacum; Italicum, vel Babylonicum.

Inæqualium Horarum dicitur Antiquum, Planetarium, Iudaicum.

Horum vnumquodque vel Opticum, vel Catopricum, vel Dioptricum. Ex quibus quodlibet est vel Planum, vel non Planum.

Planum est multiplex, nimirum, Horizontale, Verticale, Meridianum, Polare, Æquinoctiale, Declinans, Inclinatum, Inclinatum simul, & Declinans.

Horizontale, est vel Superius, scilicet in Opticis, Catoptricis, & Dioptricis; Vel Inferius, sed in solis Catoptricis.

Verticale, est vel Australe, vel Boreale.

Meridianum, Orientale, aut Occidentale.

Æquinoctiale, Superius, & Inferius.

Declinans à Meridie in Ortum, vel in Occasum; & à Septentrione itidem vel in Ortum, vel in Occasum.

Inclinatum, Superius, aut Inferius.

Inclinatum simul, & Declinans; A Meridie, vel à Septentrione in Ortum, & in Occasum; tum Superius, tum Inferius.

Non Planum est, vel Conuexum, vel Concauum. Regulare, aut Irregulare. Regulare, Cylindricum, Conicum, Sphæricum. Irregulare, in finitis modis.

11 Pro quorum intelligentia quædam sunt obseruanda, & in primis ea, quæ de diuersitate horarum explicauimus supra *lib. 1. Episog. 3. cap. 3. num. 6.*

12 Deinde notandum est Horologium Planetarium ab Antiquo plerisque non distingui; alijs verò contra; quod scilicet horas planetarias ab Antiquis diuersas putent. Qua de re videndus *Kircherius Art. Magn. Lucis & Vmbræ lib. 3. cap 2. & Maignan Perspect. Horariæ lib. 1. propos. 5*

13 Tertio. Quælibet superficies, in qua Horologium Solare delineari potest, necessariò parallela esse debet alicui Circulo in Sphæra maximo. Ex quo fit, vt totidem sint genera Horologiorum Solarium, quot sunt Circuli principales maximi in Cœlo, situ, & positione differentes; qui nouem recensentur: Scilicet, Horizon; Verticalis propriè dictus; Meridianus; Circulus horæ sextæ à Meridie, vel Media nocte, per Polos Mundi, & Sectiones com-

munes Æquatoris, & Horizontis ductus; Æquator; Verticalis quiuis alius à primario, & propriè dicto, ad Horizontem rectus; Circulus maximus ab Horizonte declinans, & per communes Sectiones Meridiani, Horizontisque transiens, & ad Verticalem propriè dictum rectus; Circulus maximus, ad Horizontem inclinatus, qui per communes Sectiones Æquatoris, Verticalis propriè dicti, & Horizontis describitur, & ad Meridianum rectus est; Denique Circulus maximus, & ad Horizontem, & ad Meridianum, & ad Verticalem propriè dictum inclinatus.

Quoniam verò quilibet horum circulorum, præter Horizontem, duas habet facies, quæ interdiu à Sole illustrari possunt; vt Verticalis, tam propriè dictus, quam ille, qui ab eo declinat; Vnam habet, quæ ad Meridiem vergit, & alteram, quæ spectat ad Boream. Meridianus autem, vnam, quæ Ortum, & alteram, quæ Occasum respicit; Cœteri denique Circuli ad Horizontem inclinati habent Superiorem vnam, quæ ad Zenith, & Inferiorem alteram, quæ ad Nadir spectat; fit inde, vt in vniuersum sint septemdecim genera Horologiorum Solarium, quæ à circulis, quibus æquidistant, singula denominantur. Exempli gratia, Horizontale ita dicitur, quòd Horizonti parallelum sit; Verticale, quod Verticali primario æquidistet; & sic de reliquis.

14 Quarto obseruandum est declinationis plani Horologij duplicem esse terminum; A quo, & Ad quem. Terminus, A quo, est tantum, vel Meridies, vel Septentrio; Terminus Ad quem, est Ortus, vel Occasus. Quare si vna facies plani declinat, exempli causa, gr. 30. à Meridie ad Ortum, totidem gradus altera opposita facies declinat à Septentrione in Occasum, & contrà; de quo infra *cap.* 11. *à num.* 5.

15 Inclinata ea tandem vocantur Horologia, quorum plana, cum plano Horizontis, Angulum faciunt acutum, iuxta *Definitionem* 6. *lib.* 11. *Euclid.* Vel etiam obtusum, vt ibidem Clauius notat; Vel semper quidem acutum, si plani Inclinatio pro recessu à perpendiculo verticali accipiatur. Vt fusius dicemus *cap.* 12. *Prax.* 2.

16 De Sciathericorum Horologiorum Inuentoribus, & Scriptoribus videantur *Vitruuius lib.* 9. *& Clauius Gnom. lib.* 1.

Proponuntur, & explicantur termini præcipui, & propositiones, quæ ad fondamentalem, & vniuersalem Sciathericorum praxim, & descriptionem requiruntur. Caput III.

AD Horologiorum Solarium fundamentale Diagramma contexendum tria concurrunt; Nimirum puncta, lineæ, & anguli. Quorum Vniuersales termini hic breuiter præmittendi, & explicandi sunt.

De Punctis.

EX Punctis tria sunt principalia, scilicet Mundi Centrum, Centrum Horologij, & Zenith, seu Vertex eiusdem.

1. Centrum Mundi, siue Terræ est Vertex Styli plano Horologij perpendicularis. Vide infra *Coroll. 3. propos. 3. huius capitis*.

2. Centrum Horologij est Punctum plani Horologij, in quo Axis Mundi secatur à Plano. Vt L, *in Figura Praxis 3. cap. 6. huius lib.* In isto Axis puncto se mutuo intersecant Lineæ omnium horarum à Meridie, vel Media Nocte, in quocumque Horologio, cuius planum non æquidistat alicui circulo per Polos Mundi transeunti, vel ipsi Mundi Axi. Ratio est, quia plana Circulorum horarum à Meridie, vel media Nocte in Axe Mundi se mutuo secant; (vt vidimus *in numero 10. cap. 3. Episag. 2. superioris Libri;*) ergo & in quolibet Axis puncto; & consequenter in quocumque plano Æquinoctiali, Horizontali in Sphæra Parallela; Horizontali, Verticalique Sphæræ Obliquæ. Nam quodlibet ex ijs secant Mundi Axem.

COROLLARIVM.

EX quo manifesta ratio apparet cur in Horologio Horizontali Sphæræ rectæ; vtroque Meridiano, & Polari, lineæ horarum à Meridie, vel Media nocte, à nullo communi centro producantur, sed omnes sint parallelæ. Vt patebit infra *cap. 5. 8. & 9. huius lib.*

3. Zenith, seu Vertex, aut Polus Gnomonicus, est Polus maximi Circuli, plano Paralleli; & in ipso plano est punctum, in quo planum secat lineam directionis, è Vertice perpendiculariter sibi insistentem. Vnde in Horizontalibus, & Verticalibus directis, est locus styli. Veluti E, *in Figura Praxis 3. cap. 6. huius lib.* Vbi est sectio communis plani, A B, & lineæ directionis, C D, cadens perpendiculariter è Vertice C. In planis verò inclinatis, est punctum contactus fili perpendiculi Mechanici, labentis per verticem Styli. Sicuti *in Figuris capitis 12. huius lib.*

De Lineis Horographicis.

4. EX lineis Horographicis aliæ sunt rectæ, aliæ curuæ, & aliæ Circulares.

5. Rectæ sunt sectiones communes plani Conotomi, & Circulorum maximorum. Veluti Horariæ, Meridiana, Æquinoctialis, &c.

6. Curuæ sunt sectiones communes plani Conotomi, & Circulorum minorum, veluti Parallelorum Solis, & Altitudinum; quæ sunt vel Parabolæ, vel Hyperbolæ, vel Ellypses: de quibus egimus *lib. 1. cap 8. Episag. 3.*

7. Cir-

7. Circulares, sunt Circuli, qui vmbra Verticis Styli planis Conotomis ex motu Solis diurno inscribuntur. Veluti Solis paralleli in planis Horizontalibus Sphæræ Parallelæ; & Æquinoctiali, ac Verticalibus in sphæra recta. De quibus *in superiori lib. cap. 8. num. 10. & infra cap 5. huius lib.*

8. Ex rectis itaque in fundamentali Horologiorum Solarium Diagrammate, septem maximè Principes habentur: scilicet Horizontalis, Meridiana, Verticalis, Axis Mundi, Substylaris, Inclinationis, & Æquinoctialis. Quibus adijci possunt Semidiameter Horologij, Semidiameter Æquatoris, Semidiameter Horizontis, Stylus Obliquus, Stylus rectus.

9. Linea Horizontalis, siue linea Horæ 12. & 24. ab ortu, vel occasu est sectio communis plani Gnomonici, & Plani Horizontis, per Verticem Styli transeuntis. Vide *Corollarium primum num. 17.*

10. Meridiana, est sectio communis plani Gnomonici, & plani Meridiani loci propositi. Vt A B, *in figura Praxis 3. cap. 6. huius lib.* In planis declinantibus duplex est; Meridiana scilicet loci, & Meridiana plani propria, quæ cum substylari coincidit. Veluti (*in figura Prax. 3. cap. 11. huius lib.*) M G, est Meridiana loci; M N, Meridiana plani declinantis propria.

11. Verticalis est sectio communis plani Gnomonici, & plani Verticalis primarij; vel alterius etiam cuiusuis verticalis ad planum Gnomonicum recti per verticem styli transeuntis. Vt C D, *in figura Praxis 3. cap. 6. huius lib.*

12. Axis Mundi est recta per centrum Horologij, & apicem Styli recti, transiens, & cum Meridiana plani faciens Angulum eleuationis Poli super planum. Veluti I K, *in figura Praxis 3. cap. 6. huius lib.* Facit enim Angulum, B L K, Angulo H F K, gr. 45. æqualem; *per propos. 28. & 29. lib. 1. Element.*

13. Substylaris, est sectio communis plani Gnomonici, & plani Meridiani proprij ipsius, per verticem styli transeuntis. Veluti M N, *in figura Praxis 3. cap. 11. huius libri.*

14. Linea inclinationis plani est recta, quæ in plano proposito ducta secat lineam Horizontalem ad Angulos rectos.

Circulus Inclinationis plani, est maximus Circulus, qui per Polum Plani, & Zenith descriptus secat planum ad Angulos rectos. Mensura Anguli Inclinationis plani, est Arcus Circuli Inclinationis inter planum, & Horizontem interceptus, siue inter Zenith, & Polum plani. Vel, vt explicat *Clauius Def. 6. lib. 11. Element.* Vide infra *cap. 12. huius libri.*

15. Æquinoctialis est Sectio communis plani Gnomonici, & plani Æquatoris; quæ in omni Horologio Sectioni Meridianæ plani, siue substylari, semper est ad angulos rectos; *per propositionem 19. lib. 11. Element. Euclidis.* Vide *num. 8. cap. 7. Episag. 3. lib. 1.*

16. Istæ septem lineæ haud omnes in vnoquoque plano Gnomonico inueniũtur, aut distinguuntur. Nam si aliquod ex planis Gnomonicis alicui ex Circulis prædictis æquidistet, linea, quæ ab eo Circulo denominatur, in eodem plano euanescit. Ratio est, quia cum circulus ille non secet planum Horologij, sed ei æquidistet, non habent communem sectionem circulus ille, & Horologij planum, neque radius Solis in eo circulo existentis in planum

Horo-

Horologij proijciet, sed infinitam propemodum faciet vmbram, planoque Horologij æquidistantem. Hinc sequuntur Corollaria.

COROLLARIVM PRIMVM.

17. HOrizontalis, siue linea h. 12. & 24. ab ortu, vel occasu in Horologio Horizontali hac de causa describi non potest; etenim quæ in eo vulgo Horizontalis appellatur (veluti, C D, *in figura Praxis 3. cap. 6. huius lib.*) est sectio communis plani Horizontalis, & circuli Verticalis primarij.

COROLLARIVM SECVNDVM.

18. MEridiana in Horologio Meridiano nulla est; in Horizontali autem, & in Verticali directo, tam recto, quam inclinato, non distinguitur à linea Inclinationis, neque à linea Substylari.

COROLLARIVM TERTIVM.

19. VErticalis, in Horologio Verticali prorsus euanescit; quamuis ea linea, quæ perpendiculariter lineæ Horizontali insistit, Verticalis dicatur; est enim Sectio alterius Verticalis à primario.

COROLLARIVM QVARTVM.

20. AXis Mundi in plano Sphæræ obliquæ semper habetur. In plano verò Sphæræ rectæ, cùm sit ei parallelus, euanescit: Et in plano Sphæræ parallelæ, cui perpendiculariter imminet (iuxta proiectionis Regulam) proijcitur in punctum; quod est horologij Centrum, & Zenith, necnon locus Styli recti. Vt infra *cap. 5. Praxi 5. huius libri, & in æquinoctialibus.*

COROLLARIVM QVINTVM.

21. SVbstylaris non distinguitur à Meridiana, & à linea inclinationis, nisi in plano Verticali declinante. Veluti linea, M N, *in figura Praxis 3. cap. 13. huius libri.* Estque semper lineæ æquinoctiali, T R, perpendicularis, siue ad angulos rectos.

COROLLARIVM SEXTVM.

22. LInea inclinationis, in plano Verticali, etiam declinanti, cum Meridiana coincidit, veluti M G, in modò citata figura; atque dumtaxat in declinante, simulque inclinato ab ea distinguitur; Estque semper perpendicularis ad lineam horizontalem. Sicuti recta, I C (*in figura praxis primæ, cap 13 huius lib.*) quæ est perpendicularis lineæ horizontali, L M.

CO-

COROLLARIVM SEPTIMVM.

23. ÆQuinoctialis, neque in plano horizontali Sphæræ parallelæ, neque in Verticali Sphæræ rectæ; neque in Horologio Æquinoctiali, describi potest.

COROLLARIVM OCTAVVM.

24. PRæterea, neque in polari linea horæ 6. à Meridie, vel Media nocte; neque in Meridiano linea horæ 12. à Meridie, vel Media nocte; neque in Verticali sub altitudine Poli gr. 45. ò, linea horæ 12. ab ortu, vel occasu.

25. Semidiameter Horologij, est Meridianæ pars inter centrum Horologij, & Sectionem communem eiusdem Meridianæ, & lineæ æquinoctialis intercepta. Veluti M L, *in figura praxis 2. cap. 6. huius libri.*

26. Semidiameter Æquatoris, est radius Æquatoris interceptus inter apicem styli, & communem Sectionem Meridianæ, & Sectionem lineæ æquinoctialis. Vt, F M, *in figura praxis 2. cap. 6. huius lib.*

27. Semidiameter, siue Radius horizontis, est perpendicularis è Vertice styli in lineam horizontalem ducta, quæ proinde ad arcus horizontales designandos assumitur. Veluti V T, *in figura praxis 2. cap. 12. huius libri.*

28. Stylus rectus, siue perpendicularis, est recta à centro Terræ, ad planum horologij perpendiculariter demissa. Vt, F E, *in figura praxis 2. cap. 6. huius libri.*

29. Stylus obliquus, est recta Axi Mundi parallela, à centro Horologij per centrum Mundi, siue Verticem styli perpendicularis, ducta. Sicuti, L F, *in figura praxis 2. cap. 6. huius libri.*

Quæ ideò Angulum F L E, angulo altit. Poli supra planum, facit æqualem.

De Angulis.

30. ANgulus Substylaris, est quem Axis Mundi, & linea substylaris ad centrum Horologij constituunt. Vt Angulus F L E, *in figura praxis 2. cap. 6. huius libri.*

Estque semper æqualis Altitudini Poli plani, vel inclinationis Axis Mundi ad planum Horologij. *29. Def. huius capitis.*

31. Angulus Substylaris inclinationis, est qui sub linea inclinationis, & substylaris continetur. Vt, R A C, *in figura praxis 1. cap. 13. huius libri.*

32. Angulus declinationis styli, & Angulus inclinationis Meridianorum, melius proprijs in locis explicabuntur. Vt infra *cap. 11. praxis 3. num. 8. & 9. necnon praxis 4. & 5.*

De Triangulo Gnomonico.

33. TRiangulum Gnomonicum, est, cuius latera circa rectum Angulum, sunt Radius Æquinoctialis, ac Stylus obliquus; Hypotenusa verò, est Horologij Semidiameter. Veluti, M F L, *in figura praxis 2. cap. 6. huius libri.*

34. Diuiditur à Stylo perpendiculari in duo triangula rectangula, similia toti, & inter se; quorum vnum vocatur triangulum Styli obliqui, scilicet F L E; & alterum, triangulum Radij Æquinoctialis, nempe F M E.

COROLLARIVM.

35. EX hac definitione patet in Horologio Horizontali, lineam horæ duodecimæ ab ortu, vel occasu, Hypotenusam trianguli Gnomonici bifariam secare. Vide infra *num. 3. prax. 5. cap. 6. huius lib.*

Sequuntur Propositiones, siue Suppositiones.

PROPOSITIO PRIMA.

VNiuersi, aut Sphæræ Centrum, est Centrum Globi Terraquei.

Hæc propositio intelligitur respectu circumuolutionum diurnarum, quæ fiunt à Sole, & à reliquis Stellis, motu primi Mobilis circa Terram; vt sit in ipsarum Axe.

Probatur in Synopsi Astronomica *lib. 1. Tract. 1. propositione 2.* & ab alijs in Astronomia, & in Geographia.

Respectu autem Solis Orbitæ annuæ, quæ est Terræ Eccentrica, hæc propositio, in rigore Astronomico, est falsa; at Gnomonicè, cùm nullum inducat errorem sensibilem, apud Horographos, habetur tanquam principium absolutè verum.

PROPOSITIO SECVNDA.

TErraqua est instar puncti.

Hæc propositio respectu octauæ Sphæræ, est absolutè vera: at respectu Solaris Orbis, Astronomicè est falsa; Gnomonicè verò, & ad sensum verissima. Nam cum terrestris Semidiameter in orbe Solari tria minuta abscindat, quæ in Horologia errorem inuehere possent minutorum secundorum temporis duodecim; talis error ad sensum vix perceptibilis, ab Horographis spernitur.

Probatur in Synopsi Astronomica, *lib. 1. Tract. 1. cap. 5. propos. 4. à Pat. Ricciol. Almag. lib. 2. cap. 6. & lib. 3. cap. 26.*

PROPOSITIO TERTIA.

APex Gnomonis, siue Styli recti in omni Sciatherico intelligitur esse in centro Terraquæ, ac proinde in centro Sphæræ.

Hæc propositio in Gnomonicis est hypothesis, Astronomicè quidem, & absolutè falsa; at Gnomonicè verissima. Vt supra *Def. 1. huius capitis*.

Probatur. Totius Terraquei globi moles (*ex superiori proposit.*) in Gnomonicis, est instar puncti: ergo vbicunque terrarum stylus Gnomonicus ponatur, eius vertex, sine vllo errore, supponitur coincidere cum centro Terræ, siue Sphæræ.

COROLLARIVM PRIMVM.

PLanum quodcunque Conotomum, seu Gnomonicum, tantùm distare à centro Sphæræ supponitur, quanta est longitudo styli; & quidem infra idem centrum in Hemisphærio, illi opposito, quod à Vertice plani describitur.

Ostenditur *ex figura 28. cap. 8. Epistag. 3. lib. 1.* in qua, T, est centrum Sphæræ, quo cum Vertex Gnomonis, S T, ex hac propositione coincidit. Planum autem, L M, ab eodem centro, T, distat totam longitudinem styli, S T; & in Hemisphærio inferiori, Æ A Q.

COROLLARIVM SECVNDVM.

CIrculi omnes maximi Sphæræ sese in Apice Styli Gnomonici secant.

Probatur (*ex propos. 6. lib. 1. Theod.*) omnis circulus maximus habet centrum in centro Sphæræ. Sed Apex Styli cum centro Sphæræ (*ex hac propositione*) coincidit: ergo &c.

COROLLARIVM TERTIVM.

PLanum Conotomum, siue Horologij Gnomonicè sumitur pro plano circuli maximi per Apicem Styli transeuntis, cui parallelum est, & à quo Horarium denominationem accipit; iuxta ea, quæ diximus supra, *cap. 2. num. 13. huius libri*.

Probatur. Nam (*ex hac propositione*) Styli Vertex absque errore sumitur pro centro Terræ, cùm tamen physicè ab eo distet tota Semidiametro terræ, & amplius longitudine styli (veluti in horizontalibus:) ergo multo magis sine errore sumitur planum horologij pro plano per verticem styli transeunte, eidem parallelo, à quo distat sola longitudine styli; quæ distantia respectu immensitatem cœlestium spatiorum, nihil est. Hinc

CO-

COROLLARIVM QVARTVM.

ANguli, qui fiunt à planis, siue diametris circulorum maximorum cum plano horologij, æquales sunt angulis, quos faciunt cum plano circuli maximi, cui planum horologij parallelum est.

Sit enim *in figura praxis 2. cap. 6. sequentis*. A B, planum horologij horizontalis, & HG, planum horizontis eidem parallelum; Dico angulum, exempli gratia, P M A, quem facit planum æquatoris, P P, cum plano Conotomo, A B, esse æqualem angulo, P F G, quem facit idem planum æquatoris cum plano horizontis, H G, eidem plano Conotomo, A B, parallelo.

Probatur *ex præcedenti Corollario*, quia hæc duo plana pro vno, & eodem Gnomonicè sumuntur.

Tum probatur *ex propos. 29. lib 1. Element. Euclid.* Nam ista duo plana (ex hypothesi) sunt physicè parallela; ergo planum, siue plani Diameter, P P, in ambo incidens facit angulum externum, P F G, interno, P M A, & ad easdem partes, æqualem.

COROLLARIVM QVINTVM.

QVatuor hæc, centrum Terræ, centrum Mundi, Styli Vertex, & quicquid Styli Verticis locum subit, & centrum omnium maximorum circulorum Sphæræ, Gnomonicè sunt idem.

PROPOSITIO QVARTA.

IN eodem plano semper existunt centrum Solis, centrum Terræ, & Vmbræ extremum. Patet ex dictis.

COROLLARIVM PRIMVM.

HInc, Quot Sol gradus pertransit in Cœlo, totidem vmbræ terminus peragit in opposito plani.

COROLLARIVM SECVNDVM.

SOle existente in quocunque puncto, aut successiuè in diuersis punctis eiusdem circuli maximi, vmbræ omnes cadent in eamdem lineam, quæ est Sectio communis ipsius circuli horarij, vel cuiusuis alterius maximi, & plani horologij: neque extra illud planum cadere possunt.

Sit enim (*in figura 26. cap. 7. Episag. 3. lib. 1.*) Sol existens in circuli Meridiani, H V O N, puncto, *f* ♋, vmbram mittet in *d*; existens in Æ, æquatoris, mittit in K; existens verò in *a* ♎, eam mittit in *b*; semper autem in-

eandem lineam rectam, MD, Sectionis communis eiusdem Meridiani, HVON, & plani subiecti, XY. Ex quo Corollario sequitur.

COROLLARIVM TERTIVM.

SOl existens in circulo Æquatoris, vt in principio Arietis, & Libræ, diurno motu Primi Mobilis actus, Gnomonis vmbra describit perpetuam lineam rectam, quæ est Sectio communis plani Æquinoctialis, & plani Conotomi. Quod tamen contingit solùm in Sphæra recta, & in Sphæra obliqua, non autem in Sphæra parallela; vt notaui supra *lib. 1. cap. 8. num. 10. Episag. 3.*

PROPOSITIO QVINTA.

Data Semidiametro Gnomonica cuiuslibet circuli maximi Sectionem eiusdem communem, & plani Gnomonici in gradus Gnomonicos diuidere.

1 EX Corollario primo, & secundo superioris propositionis terminus vmbræ Gnomonis tot gradus Gnomonicos peragit in linea, quæ est Sectio communis plani illius circuli, in quo Sol existit, & plani horologij; quot Sol ipse in cœlo pertransit; ideò necessaria est methodus ad eiusmodi gradus Gnomonicos distinguendos in data linea, &c.

2 Præmittendum est igitur, ex circulis Maximis, qui planum Gnomonicum secant, alios eidem rectè, & alios obliquè insistere.

3 Rectè plano Gnomonico insistunt, qui cum illo rectos faciunt angulos, atque per pedem Styli transeunt: obliquè verò, qui obliquos angulos cum plano Conotomo efficiunt.

4 Circulorum, qui per pedem Styli transeunt, Gnomonicus Semidiameter est ipsemet stylus. Talis est Æquator in plano horizontali Sphæræ rectæ: Vt circulus, CKDV, *praxis primæ, cap. 5. sequentis:* Verticalis in Horizontalibus: Horizon in Verticalibus rectis, &c. *Def. 26. & 27. huius capitis.*

5 Eorum autem, qui per pedem styli non transeunt, Semidiameter Gnomonicus est recta à Vertice styli per planum dati circuli ducta quoad horologij planum tangat. Veluti Æquator in Sphæra obliqua: Horizon in planis inclinatis. Vt *per Def. 26. & 27. huius capitis.*

PRIMVS CASVS.

Quando scilicet datum planum Circuli Maximi planum Horologij rectè secat.

6 IN Figura citata, *praxis prima, cap. 5. sequentis*, sit data linea, ÆQ, Sectio communis Æquatoris, CKDV, & plani, PN, diuidenda in gradus Gnomonicos proportionaliter ad diuisiones, quas faciunt circuli horarij in plano Æquatoris, hoc est ad quindenos singulos gradus.

Quoniam hic Semidiameter Gnomonica Æquatoris est ipse Gnomon, siue Stylus, ST; facto centro in Vertice T, describatur circulus, CKDV, cuiuscunque magnitudinis; & diuidatur in partes æquales partibus circuli Cœlestis, exempli gratia, Æquatoris per quindenos singulos gradus; ductis per singulas diuisiones rectis lineis à centro, T, ad lineam diuidendam, ÆQ; erit ab ipsis rectis diuisa, vt postulatur.

7 Demonstratio. Eleuetur imaginatione Æquator, CKDV, ita vt intelligatur plano, PN, insistere ad angulos rectos, sicut Æquator cœlestis, cum (*ex propos. 3. huius capitis*) Styli Apex, T, sit centrum Sphæræ, & consequenter cuiuslibet circuli maximi (*ex Corollario quinto eiusdem propositionis tertiæ*) erit Æquator Gnomonicus iste, CKDV, Æquatori cœlesti concentricus; & si circellus iste concipiatur extensus vsque ad cœlum, cum cœleste Æquatore omninò congruet; sed circuli concentrici, & qui sibi mutuo congruunt, à lineis per centrum ductis similiter diuiduntur: ergo Sectio communis, ÆQ, non secus diuiditur à lineis ductis per centrum circelli, CKDV, ac diuidatur à ductis ab eodem centro ad circumferentiam circuli maximi cœlestis, cui circellus concentricus est.

Aliter demonstratur infra, *capite 5. sequenti*, scilicet per Sectiones Conicas.

SECVNDVS CASVS.

Quando scilicet planum circuli maximi cum plano Horologij non facit angulos rectos.

8 IN Figura *praxis secunda, cap. 6. sequentis*, sit, AB, planum Gnomonicum, seu Horologij, cui insistat oblique planum Æquatoris, PP, ita vt cum plano, AB, faciat angulum acutum, PMA, gr. 45. o. quanta (in hoc exemplo) est eius eleuatio supra idem planum; sitque Sectio communis eorum linea, SS, quæ proponitur diuidenda in gradus Gnomonicos Æquatoris, PP; erit Semidiameter plani eiusdem Æquatoris linea, FM; vt patet (*per Definitionem 26. huius cap.*) Verum, quia in hoc casu Apex styli, F,

non

non est in proprio loco, sicut nec Semidiameter, F M, ideò hæc transferenda est ex, M, in T, (*in figura praxis 3. eiusdem cap. 6.*) ita vt ad rectam, S S, diuidenda sit ad angulos rectos: factoque centro, in T, describendus ad quoduis interuallum circulus, aut semicirculus, T V M X; ac diuidendus, vt in superiori casu. Nam per singulas diuisiones, à centro, T, ductis rectis ad lineam diuidendam, S S, erit per ipsas diuisa, vt oportebat.

9 Demonstratio. Concipiatur mente planum Æquatoris, F M, (*in eadem figura*) eleuatum in sublimi, extra planum horologij, A B, circa punctum, M; vt centrum, F, perpendiculariter immineat puncto, F, eiusdem plani, centroque, F, & in eodem plano, F M, imaginatione describatur circulus, & diuidatur secundùm diuisiones semicirculi, T V M X; Dico lineas ductas per centrum, F, & per singulas diuisiones secare lineam, S S, datam, in ijsdem punctis, in quibus secta fuit à lineis ductis à centro, T, semicirculi prædicti, T V M X. Nam circulus descriptus à centro, T, & descriptus à centro, F, (*per Def. 1. 3. Euclidis*) sunt æquales; & anguli ad centrum, F, & ad centrum, T, (quoniam ex hypothesi, in æqualibus, scilicet, quindenorum graduum peripherijs insistunt, *ex 27. lib. 3. & 33. lib. 6. Euclid.*) sunt æquales; & latera æqualem angulum comprehendentia, sunt æqualia, vtrumque, vtrique: ergo, & basis basi (*per 4. lib. 1. Euclid.*) erit æqualis. Sed basis singulos angulorum vtriusque circuli subtendens, est portio communis eiusdem lineæ sectæ, S S; ergo à lineis ductis à centro circuli vtriusque, in ijsdem punctis secta fuit linea data, &c. Circellus autem descriptus à centro, F, (ex superioribus corollarijs, & ex hypothesi) concentricus est circulo maximo cœlestis Æquatoris; & si extendatur vsque ad cœlum, cum eodem congruit. Sed circuli concentrici, & qui sibi mutuo congruunt, cum (*ex 8. Axiom.*) sint æquales, à lineis per centrum ductis similiter diuidunturi: ergo linea Sectionis, S S, similiter, & æqualiter diuiditur per lineas ductas à centro circuli, T, atque ductis à centro, F; ergo rectè translata fuit Semidiameter, F M, in T; & ex hoc centro propositum absolutum.

De Inuentione, & Translatione Lineæ Meridianæ. Caput IV.

LIneæ Meridianæ Inuentio, est primum, & maximum Horographiæ fundamentum; ideò hic breuiter cæteris præmittenda est.

Praxis I. Lineam Meridianam in plano Horizontali inuenire.

1 EX pluribus modis, hic duos tantùm faciliores proponemus.
2 Primus modus, qui certior, & exactior; talis est.



In plano horizontaliter librato describantur plures circuli Concentrici, ex quorum centro, A, erigatur stylus, A B, perpendiculariter. Tum horis circiter duabus ante Meridiem, quando Sol est eleuatus supra Horizontem, non minus 45. gradibus, obserua cuius circuli Peripheria terminetur vmbra styli, & in quo Peripheriæ puncto; quod acu nota, & sit D; Similiter post Meridiem in eadem Peripheria punctum signa, C, in quod incidit vmbræ styli terminus. Deinde Arcu, C F D, (*per propos.* 30. 3.) bifariam secto, in, F; per hoc punctum F, & per centrum, A, ducta linea recta, E A, est Meridiana quæsita.

3 Secundo, Meridiana, quouis temporis momento indicat Acus Magnetica, optimè probata, & rectificata. Acus enim Magneticæ excitatæ, & suspensæ, secundùm lineam Meridianam se dirigunt, non tamen semper exactè; sed varijs in locis ab ea variè declinant, etiam aliquando ad 30. gradus. Quamdè re videri potest *P. Ricciolus Geograph. Reform. lib. 8. à cap. 12. vsque ad 17. Et Milliet Dechales cursus Mathemat. tom. 1. de Magnete, lib. 1. Ord. 3. experimentorum.*



4 Probanda est igitur Acus Magnetica antequàm designandæ Meridianæ adhibeatur, sic. Apici alicui suspensa superponatur lineæ Meridianæ, A B, per methodum præcedentem diligentissimè inuentæ; nam si cum illa congruat nulla erit declinatio; sin minus, angulus, quem Acus efficit cum Meridiana, ad partem, C, ostendet gradus declinationis Magneticæ in Orientem, vel in Occidentem. Veluti in Figura hic apposita angulus, B E C, quem metitur Arcus, B C, est angulus declinationis Magneticæ ad Orientem F.

5 Vbi notandum, Acum Magneticam cùm ad Orientem vergit, Nordestare, & Græcizare; ad Occasum verò dum tendit, Nordoustare, & Maestrizare dici.

6 Illud etiam obseruandum est, quod *P. Blancanus in sua Sphæra lib. 1. cap. 4.* hac de re docuit; In Italia, scilicet, necnon regionibus ei adiacentibus, Acum Magneticam, declinare ex Borea in Ortum grad. 6. haud vbique obseruationibus consentire. Nam in primis P. Ricciolus cum Brenano, & Grimaldo anno 1657. (vt ipsemet refert, *in Geographia Reformata lib. 8. c. 14.*) Bononiæ Italiæ, inuenit eam declinare tantùm grad. 1. m. 20. aut 10. & quidem versus Occidentem: P. itidem Io. Baptista Zup. (vt habet idem Riccio-

lus,

lus, ibidem.) Neapoli obseruauit eam exorbitare à Borea solùm gr. 0. m. 30. non tamen ad Ortum, sed itidem Occasum versus. Nos etiam hic Venetijs, plurimis adhibitis acubus, nullam hactenus inuenimus aberrantem in Ortum, vt asseruit P. Kircherius, Sed omnes versus Occasum gr. 5. circiter. Qui quidem graduum numerus, est idem plane, atque Kircherianus, verum denominationis contrariæ illi, quam tum ipse, tum Blancanus statuere.

Praxis II. Inuenta Meridiana, instans Meridiei determinare, & Meridianam ipsam in quodcunque planum transferre.

INstans, seu momentum Meridiei, illud ipsum est, quo Vmbra Styli in ipsam iam repertam Meridianam proijcitur. Vel si suspendas perpendiculum filare, tunc est Meridies, quando repertæ iam Meridianæ, Vmbra fili exactè congruit.

Quare si in hoc ipso Meridiei momento filum plumbo onustum, super quodcumque planum suspensum teneas; vmbra illius Meridianam in eodem plano translatam delineabit. His præmissis principijs, iam sit.

De Constructione Horariorum Solarium in Sphæra recta, & in Sphæra parallela. Caput V.

QVid sit Sphæra recta habetur superiori libro, *Episag. 3. cap. 5. num. 2.* In hac Sphæræ positione Poli Mundi sunt in Horizonte; & Æquator transit per punctum Verticis: Nulla Stella est vel occulta, vel in occidua; sed omnes oriuntur, & occidunt, ac per horas 12. supra Horizontem morantur, & per totidem infra latent. Dies omnes sunt per se noctibus æquales. Cuius æqualitatis causa, est, quia omnium parallelorum, per quos Sol incedit, arcus diurni sunt arcubus nocturnis æquales. Dixi per se, quia ratione refractionis Sol oritur citius tribus, aut quatuor circiter minutis temporis, totidemque serius occidit, quam oporteret. Vmbræ Gnomonum Sole existente in signis Australibus vergunt in Boream; in Austrum verò quandiu est in Septentrionalibus, ex quo Incolæ dicuntur Amphiscij, idest duplicis vmbræ. In hac Sphæra sunt magna pars Persiæ, Medium Taprobanes, Insulæ Moluchæ, magna pars Aphricæ, Insula S. Thomæ, & pars Indiæ Occidentalis, quæ Perù dicitur, &c.

De Sciatherico Horizontali Sphæræ recta.

Praxis I. Sciatherici Horizontalis Sphæræ rectæ lineam Meridianam, & lineam Æquinoctialem exhibere.

SIt datum planum Horizontale, P L M N, in quo describendum sit Horizontale Sciathericum Sphæræ rectæ.

Duca-

1 Ducatur primum (*ex primâ praxi superioris capitis*) Meridiana. A B; eique Orthogona, Æ Q.



Tum ex puncto decussationis, S, accipiatur, ad libitum longitudo styli recti, ST, in Meridiana, A B; & S E, in Orthogonali, Æ Q. Centro E, describatur Circulus Meridianus, H Æ O R; & Centro T, describatur circulus Æquatoris, D K C V.

2 Dico primùm, A B, esse lineam Meridianam.

Probatur tum ex hypothesi; tum ex Demonstratione sequenti.

3 Dico secundò, Æ Q, siue, X Y, esse lineam æquinoctialem.

Probatur *ex Definitione* 15. *cap.* 3. *huius libri*. Etenim plana, quæ se mutuo secant, planoque cuidam ad rectos sunt angulos, communem etiam, cum eodem plano, Sectionem ad rectos angulos efficiunt: Sed plana Meridiani, & Æquatoris sunt huiusmodi; ergo &c. Maior est *Euclid. Element. lib.* 11. *propos.* 19. Minor probatur *ex Theod. Sphær. lib.* 1. *propos.* 15. Meridianus enim transit per polos Mundi, & Æquatoris: Suntque ambo circuli maximi *per*

propos. 6. lib. 1. Sphær. Theod. Cùm idem Centrum habeant cum Sphæræ centro, E, vel T; Quod *ex Definit. 1. cap. 3. huius lib.* semper intelligitur esse in Vertice styli recti.

Probatur secundò, oculari demonstratione sic. Plano, P L M N, manente immobili eleuentur, imaginatione, planum Meridiani, A Æ B, & planum Æquatoris, X K Y, ita vt in sublimi, extra planum, eidemque ad rectos insistant angulos. Centrum, E, Meridiani coincidet cum centro, T, Æquatoris, & Vniuersi Sphæræ: Punctum, Æ, plani Meridiani cum puncto, K, plani Æquatoris in Vertice; ac punctum, R, cum puncto, V, in Nadir; in quibus etiam plana se mutuo ad rectos secabunt angulos; vt patet *ex citata propos. 6. lib. 1. Theod.* Et quoniam vtriusque circuli portio, A R B, Meridiani, & X V Y, Æquatoris, ex punctis designata intelligitur esse infra planum, P N, & extra illud prominens; erit A B, sectio communis plani Gnomonici, P N, & plani Meridiani, H Æ B R; ac proinde linea Meridiana; & X Y, siue Æ Q, sectio communis plani Gnomonici, & plani Æquatoris, C K D V, nempè linea æquinoctialis Horologij: Sed istæ duæ Sectiones se mutuo, ad rectos secant angulos in S, iuxta *Def. 15. cap. 3.* Ergo rectæ vtraque ducta est, scilicet, Meridiana, & Æquinoctialis, &c. Vide *cap. 7. Episag. 3. lib. 1.*

Praxis II. Datis in plano, P N, Horizontali Sphæræ rectæ, Meridiana, A B; Æquinoctiali, Æ Q: & longitudine Styli recti, S T Sectiones communes planorum circulorum horariorum, & æquinoctialis designare, & lineas horarias ducere.

1 CEntro, T, quod est in Vertice Styli, ad quodcunque interuallum, describatur æquatoris circulus, C K D V; aut saltem quadrans, T D V; qui in sex partes æquales diuidatur. Tum ductæ ex centro, T, rectæ cœcæ (quales sunt rectæ ex punctis) per singulas quadrantis diuisiones; ita vt lineam æquatoris, Æ Q, secent; quæsitas, in eadem linea, indicabunt Sectiones horarias, per quas (translatas etiam ad alteram æquinoctialis partem) ductæ perpendiculares, erunt lineæ horariæ.

2 Probatur primùm *ex propos. 5. num. 6. cap. 3. huius libri.*

3 Probatur secundò. Nam lineæ ex punctis prædictæ ipsa horarum Astronomicarum plana repræsentant, Gnomonico plano occurrentia; ergo ibi erunt communes illorum Sectiones, vbi est cœcarum linearum ipsarum, in plano communis concursus; ergo per eiusmodi occursum, siue communem Sectionem puncta horarum in linea æquinoctiali rectè designantur. Rectæ itaque ductæ per singula eadem puncta, ad æquinoctialem, Æ Q, perpendiculares, erunt lineæ horariæ. Patet hæc vltima consequentia, *ex num. 2. cap. 3. huius libri.*

4 Demonstratur præterea *ex propos. 19. lib. 11. Element Euclid.* Nam planum Horologij, & singula plana circulorum horarum Astronomicarum, *ex nu. 10. cap. 3. Episag. 3. superioris lib. & propos. 6. lib. 1. Sphær. Theod.* sunt æquatori

ad

ad angulos rectos; ergo & communes illorum Sectiones; Sed huiusmodi sunt lineæ horariæ, ergo &c.

MONITVM.

5 ILlud verò in hoc Sciatherico Horizontali in Sphæra recta, notandum est, quod ijsdem lineis horarijs, genera omnia horarum æqualium indigitantur. Ideò numeri ad æquinoctialem appositi, sunt horarum à Meridie, & Media nocte: Numeri infra Tropicum Capricorni, ab vna in duodecim, sunt horarum ab Ortu; Reliqui verò à tredecim, ad 24. siue 23. (nam vigesima quarta est infinita) sunt horarum ab Occasu.

Ratio patet ex Doctrina Sphærica. Siquidem in Sphæra recta Arcus Diurnus toto anni tempore duodecim existit horarum semper æqualium; indeque horæ inæquales perpetuo exulant Ostracismo.

Praxis III. In Sciatherico Horizontali Sphæra recta Hyperbolas inscribere.

1 SVppono *ex num.* 15. *cap.* 8. *Episag.* 3. *superioris lib.* In dato plano Horizontali Sphæræ rectæ Solem Gnomonis vmbra Hyperbolas delineare. Ideò
2 Primùm in Circulo Meridiano, H Æ O R, (*in figura prima praxis huius cap.*) supra, & infra, Æ, punctum Sectionis æquatoris, accipiatur Declinatio vtriusque Tropici, scilicet gr. 23. m. 30. Vel, si libeat, etiam aliorum parallelorum, sicut in Analemmate *cap.* 6. *Episag.* 3. *lib.* 1. Deinde per singulos terminos Declinationis, & per Centrum Sphęrę, E, siue Apicem Styli, delineantur radij, vsque dum lineam, A B, Meridianam secent; veluti in *f*, & in *g*; erunt Sectiones eiusmodi Vertices vtriusque Hyperboles oppositę. Nimirum, *f*, Vertex Hyperbolę, quam Sol describit existens in Cancro; & *g*, Vertex oppositę Hyperboles Capricorni.
3 Centrum Hyperbolarum est in, S, loco Styli.
4 Vt autem Vmbilici, siue Foci reperiantur, ex puncto, *g*, ducas *g d*, ad Axem, H O, perpendicularem; siue, S *d*, lateri *f* E ϱ, parallela, donec Axi, H O, occurrat in *d*; & facto Centro in S, ad interuallum, S *d*, circinetur Semicirculus, T *d* V; nam vbi iste Semicirculus secat Meridianam, A B, in T, & V, ibi focos notat. Quod planè docetur, ac demonstratur *in num* 3. *&* 4. *propos.* 3. *cap.* 9. *Episag.* 3. *lib.* 1.
5 Datis itaque Verticibus, *f*, *g*, & Vmbilicis, siue Focis, T, V, Hyperbolę facilè describentur, *ex num.* 5. *vel* 6. *modo citata propositionis*; vt apparet in Graphide *praxis prima huius cap.* & vt clarius elucescet infra *cap. sequenti prax.* 4 *num.* 2. Possunt enim etiam in Sphęra recta Distantię horarię distingui, & paralleli describi ijsdem Methodis, Geometricè scilicet, Arithmeticè, & Practicè, non secus, ac in Obliqua; vt ibidem; Sumpta tamen in Sphęra recta, pro Radio ęquatoris, longitudine Styli; ob rationem supra allatam *num.* 5. *propos.* 5. *cap.* 3. *huius libri.*

Praxis IV. Sciathericum Verticale in Sphæra recta delineare.

SCiathericum Verticale in Sphæra recta; est Dimidium Sciatherici Horizontalis Sphæræ parallelæ, de quo in sequenti praxi.

Praxis V. Sciathericum Horizontale in Sphæra parallela construere.

1 SPhæra parallela describitur supra, *lib.* 1. *Episag.* 3. *cap.* 5. *num.* 3. In hac alter Polorum est in Zenith, siue in puncto Verticis; & alter in Nadir Axis Mundi cum linea Verticali coincidit; ac proinde æquator est Horizonti parallelus. Ex quo fit, vt in hac Sphæra, ex duodecim signis Zodiaci sex perpetuò sint supra Horizontem, & sex infra. Quare si dies ibidem accipitur pro toto tempore, quo Sol moratur supra Horizontem, non nisi vnicus, ac Semestris erit, & vnica nox totidem fere mensium, in toto Anno; refractione seclusa, cuius vi Sol his incolis, si qui sunt, oritur antequam ad æquinoctium perueniat. Sin autem pro Die intelligatur spatium 24. horarum, quo videlicet Sol ab eodem Meridiano egressus, ad eundem reuoluitur, nullus talis Dies ibi obseruari poterit, nisi designata prius Meridiana; vel ad placitum, vel ex communi Incolarum consensu. Horarum enim obseruatio (*ex Plinio lib.* 1. *Naturalis Hist. cap.* 60.) ad communem Gentium consensum pertinet. Nullum tamen Sciathericorum, aut alterius Horologij vsum fuisse apud illas Nationes, tempore Olai Magni scribit ipse (*Histor. Septentrion. lib.* 1. *cap.* 19.) his verbis: *Sciendum est Incolas Septentrionis extremi vltra grad. Eleuat. Poli Arctici* 86. *habitantes nullum habere Solaris Horologij vsum, quale Anaximenes Milesius Lacedæmoniensis primum (teste Plinio) inuenisse dicitur: neque alterius cuiusuis Horologij ponderum, rotarum, aquarum, mensurarum per lineas, & interstitia fabricati, sed tantummodo eos vti prealtis, ac depressis rupium cautibus, partim natura, partim ingenio dispositis, qui radios Solares infallibili coniectura obumbrant, partesque dierum distinguunt, veluti hyeme noctibus, & diebus (Luna non splendente) volatilium, & campestrium animalium vocibus, & gestis (quorum copia illic est infinita) clarissimè per experientiam temporum rationem metiuntur. Talibusque, velut obeliscis, aut syluestribus signis, sunt contenti.*

2 Verum quicquid sit de vsu Sciatherici apud Incolas illos suppolares, siue aliqui ibi degant, siue non, sed existat Rupis immensa, & Gurges aquarum, vt referunt quidam Historici, & Geographi; Constructio tamen illius, saltem doctrinæ gratia non est Tyronibus omittenda.

3 Ducta itaque ad placitum, vel ex consuetudine, linea Meridiana, & in ea facto centro, vbicunque libuerit, describatur circulus, & in eo delineetur Horologium Astronomicum omninò sicut infra (*in cap.* 10. *huius libri*) erit constructum propositum Sciathericum suppolare, siue in Sphæra parallela; dummodo lineæ horariæ ductæ sint omnes; hoc est etiam in parte Peripheriæ, K A L; & planum Conotomum sit Horizontaliter, & ad libellam collocatum.

4 Ratio patet in modo citato cap. Et præterea, quoad lineas horarias, probatur *per num.2.cap.3.libri huius;* Et quoad parallelos, *per num.10.c.8.Episag.3.lib.1.*

5 Verticale Sciathericum in hoc ipso Sphæræ positu, est Dimidium Horizontalis Sphæræ rectæ; Veluti, ÆQMN, *in Figura Praxis 1. huius capitis.*

De Constructione Sciatherici Horizontalis in Sphæra Obliqua. Caput VI.

Praxis I. Data Solis Altitudine Meridiana Altitudinem Æquatoris, & Poli, in qualibet Regione expiscari.

1 QVoniam Sphæræ Obliquæ posituta dicitur illa, in qua semper alter Polorum sub Horizonte deprimitur, & alter supra illum eleuatur; (vt supra *lib.1.Episag.3.cap.3.num.3.*) Ideò hæc Methodus, scilicet Poli altitudinis indagandæ necessariò præmittenda est.

2 Obseruetur itaque primum Solis Altitudo temporis Meridiei momento, vel per Astrolabium, aut Quadrantem, Dioptris, & perpendiculo instructum. Vel sic.

3 Descripta linea Meridiana in plano horizontali, & in ea fixo stylo, temporis Meridiei momento, notetur Vmbræ Meridianæ longitudo. Exempli gratia, *in Figura praxis secundæ sequentis,* sit A B, Meridiana plani horizontalis; Stylus, F E; sitque, E O, longitudo Vmbræ Meridianæ Solis existentis in principio Capricorni. Tum in crassiori papyro, aut in expolito assere construatur triangulus rectangulus, cuius cathetus, seu perpendiculum sit longitudo styli, F E; & Basis, Vmbra iam notata, E O; claudaturque hypotenusa, F O. Dico Angulum, F O E, Quadrante, vel per Trigonometria, dimensum, Altitudinem Solis Meridianam exhibere.

Probatur. Angulus enim F O E, in plano Horizontali; (*ex propos.28.lib.1. Elem.* & ex dictis supra, *Coroll.4.prop.2.c.3.huius lib.*) æqualis est Angulo, G F O, supra Horizontem; sed iste Angulus indicat Altitudinem Solis; ergo & ille.

4 Altitudo hæc autem Solis Meridiana, quacunque methodo acquisita, est tantùm visa, & apparens; ac ideò conuertenda in veram, addita illi Parallaxe congruente tali Diei, & detracta refractione, (si ea fuerit sensibilis;) consulendo Tabulas Parallaxium, & Refractionum Solarium Tychonicas, apud Argulum *in Pandos.Sphærico,c.70.& 71.* aut alium; Vel emendatas à Riccioio *Astron. Reform tom.2.Tab.39.& 40.* Quas exscripsimus infra *part.2.lib.1.c.1.prax.2.* Licet enim P. Maignan *lib.1.Perspectiuæ Horar. prop.45.* Correctionē huiusmodi contemnendā censeat in vulgaribus Optico-Gnomonicis obseruationibus; si aliquatamen fuerit præcipua (qualis est præsens) ex qua multæ postmodum faciendæ operationes dependent, omnino adhibendam fatetur.

5 Deinde per Ephemeridem, vel Astronomicas Tabulas addiscas verum Solis locum in Zodiaco, eodem obseruationis die; & eiusdem loci Declinationem, ex Tabula sequenti, vel alia.

TABVLA DECLINATIONVM SIGNORVM ZODIACI ad ſingulos eorum gradus.

	♈ ♎		♉ ♏		♊ ♐		
	G.	M.	G.	M.	G.	M.	
0	0	0	11	30	20	12	30
1	0	24	11	51	20	25	29
2	0	48	12	12	20	37	28
3	1	12	12	33	20	49	27
4	1	36	12	53	21	0	26
5	2	0	13	13	21	11	25
6	2	23	13	33	21	21	24
7	2	47	13	53	21	32	23
8	3	11	14	13	21	42	22
9	3	35	14	32	21	51	21
10	3	58	14	51	22	0	20
11	4	22	15	10	22	9	19
12	4	45	15	28	22	17	18
13	5	9	15	47	22	25	17
14	5	32	16	5	22	32	16
15	5	55	16	23	22	39	15
16	6	19	16	40	22	46	14
17	6	42	16	57	22	52	13
18	7	5	17	14	22	58	12
19	7	28	17	31	23	3	11
20	7	50	17	47	23	7	10
21	8	13	18	3	23	12	9
22	8	35	18	19	23	15	8
23	8	58	18	34	23	19	7
24	9	20	18	49	23	22	6
25	9	42	19	4	23	24	5
26	10	4	19	18	23	26	4
27	10	26	19	32	23	28	3
28	10	47	19	46	23	29	2
29	11	9	19	59	23	30	1
30	11	30	20	12	23	30	0
	♓ ♍		♋ ♑		♌ ♒		

Gradus Superiorum ſex Signorum.

Gradus Inferiorum ſex Signorum.

Tan-

6 Tandem, si Declinatio Australis est, eam addas veræ Altitudini Solis Meridianæ; Si Borealis, subtrahas, & habebis Altitudinem Æquatoris in tuo Horizonte: Cuius complementum, ad grad. 90. semper est Altitudo Poli supra eundem Horizontem.

7 Quod si Altitudo Solis Meridiana obseruata fuerit Die alterutrius Æquinoctiorum; nempe 20. Martij, aut 23. Septembris, ad veram redactam, eadem erit, atque Altitudo Æquatoris quæsita; & eius complementum, Altitudo Poli.

8 Sin autem obseruata sit Die Hyemalis Solstitij, scilicet vigesima prima Decembris, addita gradibus 23. m. 30. Die verò Solstitij Æstiui, vigesima prima Iunij, dempta gradibus 23. m. 30. supererit, vel colligetur Altitudo Æquatoris; cuius itidem complementum est Altitudo Poli. Verum enimuero si tibi scrupula quædam prima, vel secunda, (quibus prædicti gradus integri, momenti Æquinoctiorum, & Solstitiorum deficiunt, vel abundant) religionem induxerint, eodem modo, etiam his diebus operandum erit, quo alijs; consulendo videlicet Ephemerides, Declinationum Tabulas, &c.

9 At hæc ad Sphalmata Typographorum corrigenda. Cœterum Altitudines locorum insigniorum habentur in Tabulis passim apud Geographos, & Astronomos; in primis Ricciolum, *Geographiæ Reformatæ lib. 9. cap. 4. & Astronomiæ Refor. tom. 2. Tab. 14.* Ex quibus collectus est Catalogus, qui habetur infra, *in principio Secundæ Partis*.

Praxis II. Datis Lineæ Meridianæ, ex praxi prima, vel secunda superioris capitis, & Altitudine Poli Regionis, ex præcedente praxi, reliqua indagare, quæ necessaria sunt pro Sciatherici Horizontalis fundamento.

IN dato plano Horizontali, A B, describendum sit Horologium, sub Altitudine Poli grad. 45.

1 Primùm (*ex prax. 1. cap 4. huius libri*) inueniatur, in eo Meridiana, L O. In qua orthogonaliter figatur Stylus ad arbitrariam longitudinem, E F. Erit E, (locus Styli) Zenith, seu Vertex Gnomonicus: *Def 3. cap 3. huius lib.* F, vero (Styli vertex) mundi Centrum, *Def. 1. cap. 3. huius lib.*

2 Secundò, Centro, F, quouis interuallo, describatur Circulus Meridianus, G C H D, concipiendus (iuxta *num 8. cap. 7. Episag. 3.*) veluti plana superficies circularis, in aere, supra, & infra planum Conotomum, A B, normaliter eleuata. Vnde erit, A B, (*per 3. 11.*) sectio communis plani ipsius dati, ac Meridiani; C, erit in Cœli Vertice, seu in Zenith; & D, in Nadir.

3 Tertiò, per centrum F, ducatur Diameter, G H, plano Conotomo, A B, parallela. Quæ repræsentabit circulum Horizontis, cui planum ipsum, A B, (*ex num. 16. & 17. cap. 3. huius lib.*) æquidistat; Et quidem (*per Coroll. 1. propos. 3. cap. 3. huius lib.*) totam longitudinem Styli, F E; ab eoque (iuxta *num. 13. cap. 2. huius lib.*) denominationem sumit. Ac proinde (si te fingas facie versum ad Austrum) punctum, G, erit Meridies; H, verò Septentrio.

4 Quar-

4 Quartò . . Super hanc G H, linea recta, C D, è Vertice C, per Styli apicem, F, in D, Nadir, normaliter cadens (*ex Def. 11. cap. 3. huius lib.*) Verticalem primarium designat. Vel, si eadem, C D, concipiatur in aere supra, & infra planum eleuata, repræsentabit sectionem cõmunem eiusdem Verticalis, & Meridiani; & sic coincidet cum linea directionis. Sin autẽ in plano Conotomo horizontali, A B,



ipsa C D, descripta intelligatur, erit ipsius plani, & Verticalis primarij communis sectio; ac proinde C, punctum Æquatoris Orientis; D, Occidentis.

5 Quintò. Singulis Meridiani, G C H D, quadrantibus in grad. 90. diuisis, cœpta numeratione ex G, & H, versus C, & D; super Horizontem, G H, ex puncto Septentrionis H, versus Verticem C, numeretur Altitudo Poli Borealis K, data per superiorem praxim, (in præsenti exemplo) grad. 45. Tum per terminum numerationis K, & per centrum Mundi, F, ducta recta, H F I; erit (*per Def. 12. cap. 3. huius lib.*) Axis Mundi: & K, Polus Borealis; I, polus Australis; L (*per Def. 2. cap. 3. huius lib.*) Centrum Horologij, siue Polus Gnomonicus, quem alij Centrum horarum Astronomicarum appellant.

6 Sextò. Ex puncto G, Horizontis Meridionalis, versus Verticem, C, numeretur Altitudo Æquatoris G P, quæ (cùm semper sit Altitudinis Poli complementum ad gradus 90.) in præsenti exemplo, est gr. 45. Deinde per numerationis terminum, P, & per Centrum Mundi, F, ducta recta, P F P, repræsentabit Circulum Æquinoctialem; qui semper Mundi Axi, K I, ad angulos rectos esse debet.

Hinc (*per Def. 26. cap. 3. huius lib.*) F *m*, est Semidiameter, siue Radius Æquatoris. Et recta, S S', ducta perpendiculariter ad Meridianam A B, per punctum *m*, sectionem communem Circuli Æquinoctialis, & ipsius lineæ Meridianæ (*per Def. 15 c. 3. huius lib.*) erit linea Æquinoctialis plani. Vt etiam *per Coroll. 3. propos. 4. eiusdem cap. 3.* L F *m*, autem (*per Def. 33. cap. 3. huius lib.*) est

Trian-

Triangulus Gnomonicus, continens duo triangula rectangula, toti, & inter se similia; iuxta *Def.* 1. *lib.* 6. *& propos.* 8. *eiusdem*. Nam L F E, (*per Def.* 29. *cap.* 3. *huius lib.*) est Triangulus Styli obliqui: & E F *m*, triangulus Radij Æquatoris.

7 Septimò. Numerata hinc inde à Sectione, P, commune Æquatoris, & Meridiani, maxima Solis declinatione, gr. 23. m. 30. (*per num.* 2. *cap.* 6. *Epi sag.* 3.) ducantur Radij Solaris, ♋ F *n*, in principio Cancri, & ♑ F *o*, in principio Capricorni, & si libeat, etiam aliorum signorum. Quoniam (*ex nu.* 13. *&* 15. *c.* 8. *Episag.* 3.) in dato plano Sol in Zodiaci signorum initijs (præter ♈, & ♎, vt mox diximus *supra num.* 6.) Hyperbolas delineat; duo puncta *n*, & *o*, communes sectiones radiorum Solis, & plani Conotomi dati, A B, erunt (*per propos.* 3. *cap.* 9. *Episag.* 3.) Vertices vtriusque Hyperboles oppositæ; Recta, *n o*, Transuersa Diameter; *a*, Centrum Hyperbolarum.

Cadant nunc ab alterutro Vertice *n*, vel *o*, recta *o b*, vel *n b*, ad Axem Mundi perpendicularis, & sectio communis *b*, notetur puncto. Tum posito vno circini pede in Centro *a*, altero accipiatur interuallum, *a b*, & transferatur hinc, & illinc super Axem primariam vtriusque Hyperbolarum, in *c*, & *d*. Dico puncta eiusmodi esse Centra, siue puncta reflexionis, Focos, & Vmbilicos. Vel aliter, vt *in num.* 4. *citata propos.* 3.

Praxis III. Dato, ex præcedenti Praxi fundamento, vel saltem Triangulo Gnomonico L F M, lineas horarium Astronomicarum, seu à Meridie, & Media nocte, tripliciter Horizontali Sciatherico inscribere.

1 PRimùm, ex præcedenti fundamento transferatur linea Meridiana A B, cum Triangulo Gnomonico L E M, & linea Æquinoctiali. *figura seq.*

2 Deinde sumatur circino interuallum M F, Diameter Æquatoris, & ponatur super Meridiana, ex *m*, in T, quo centro describatur semicirculus, T V M X; qui pro integris horis diuidatur in duodecim partes æquales; vel in partes 24. pro semihoris; vel etiam in 48. si horologium ad quadrantes horarum expetimus.

3 Tum posita regula supra centrum T, & supra singulas diuisiones Peripheriæ ducantur rectæ occultæ, vt lineam S M S, Æquinoctialem secent; ac tandem per sectionum æquinoctialis puncta, & per centrum, L, rectæ lineæ ductæ erunt horariæ Astronomicæ; iuxta numeros, quibus in figura exempli notantur.

Demonstratur per Casum 2. *propos.* 5. *cap.* 3. *huius lib.*

MONITA.

4 LIneæ Horariæ ad centrum, L, non pertingunt ad euitandam confusionem. 2. Vltra Centrum, etiam non necessarias delineaui; vt earum continuationem, & correspondentiam ostenderem. 3. Linea horæ 12. semper est Meridiana. 4. Linea horæ sextæ semper ducitur per centrum



horarum, L, parallela Æquatori. 5. Ex horis infra lineam horæ sextæ, dexteræ sunt antemeridianæ, nempè 6. 7. 8. 9. 10. 11. sinistræ; pomeridianæ 1. scilicet 2. 3. &c. ex his verò, quæ suprà lineam sextæ, dexteræ sunt matutinæ; sinistræ autem vespertinæ.

PRACTICE.

5 PRacticè, siue mechanicè ita Æquinoctialem secabis.

Primùm acceptam longitudinem Diametri Æquatoris M F, signabis hinc, inde ab ♋, in 9. & 3. Deinde accipias totum interuallum inter 3. & 9. & posito vno Circini pede in T; alterum extende super Æquinoctialem in 4. à quo puncto, eadem Circini diuaricatione retenta, imprime vtrinque puncta 5. & 11. Rursus inuariata Circini apertura, colloca vnum eius pedem in T, & alterum in linea Æquinoctiali in 8. & ab hoc puncto hinc, & illinc signa puncta 1. & 7. Tandem, spatium inter 8. & 4. trifariam diuide, inuenies puncta horarum 2. & 10. & sic erunt inuenta omnia puncta horaria, per quæ ductæ lineæ à Centro L, horas Astronomicas indicant, vt prius ex præcedenti Methodo.

6 Pro horis dimidijs pone vnum Circini pedem in T; alterum extende ad

puncta

puncta horarum imparia, scilicet, 13. 15. 17. 19. 21. 23. in Æquinoctiali SS, & inuentas distantias vtrinque ab eadem hora impari, in lineam Æquinoctialem transferas.

7 Quod si ad iam inuentas semihorarias sectiones ex T, Circinum expandes, ac simili ratione vtrinque puncta imprimes in linea Æquinoctiali, erunt puncta huiusmodi quadrantium horarum.

Demonstratur. Quoniam iste modus indagandi sectiones horarias in Æquinoctiali, & si facillimus, promptus, & expeditus, videtur tamen casualis, & insulsus; ne prorsus vtili delectationis gustu destituatur, aliquali demonstrationis sale condiendus est.

Supposita igitur descriptione earundem sectionum ex circulo Æquinoctiali T V M X (in superiori Figura 43.



& præterea circulos horarios, & horarias lineas in Æquatore singulas debere distare ab inuicem quindenos gradus.

Dico primùm interuallum semidiametri Æquatoris, M T, acceptum in linea Æquinoctiali, S S, à puncto, M, sectionis Meridianæ, siue horæ duodecimæ, esse distantiam horæ 9. & 3. Astronomicæ; & horæ 15. & 21. Italicæ. Nam trium horarum distantia à Meridiano sunt gr. 45. Sed vtrumque punctum, scilicet *a*, & *b*, distat à puncto Meridiano, M, gr. 45. ergo, &c. Minor patet, quia in triangulo, *a* M T, rectangulo in M, duo latera M *a* M T, sunt æqualia (*ex constructione*) ergo (*per propos.* 5. *lib.* 1.) duo anguli T, & *a*, super latus tertium, M *a*, sunt æquales, ac proinde (*per* 32. *lib.* 1.) singuli graduum 45. hoc est semirecti.

Eodem modo demonstranda est distantia horæ tertiæ, in triangulo, M T *b*.

Trigonometricè verò demonstratur, quia radius cuiuslibet circuli est æqualis Tangenti graduum 45. qualis est M*a*; & M*b*.

Tum secundò, si producatur T*c*, æqualis interuallo *ab*, inter horam nonam, & tertiam Astronomicam; dico *c*, esse punctum horæ octauæ antemeridianæ, & *d*, horæ quartæ pomeridianæ. Angulus enim, M T *c*, (*ex* 32. 1.) est gr. 60. quod vt probetur, accipiatur M E, æqualis ipsi M T, & ducatur, E *c*, erit triangulus, E T *c*, æquilaterus; nam in triangulis, E M *c*, & T M *c*, rectangulis in M, duo latera, E M, M *c*, trianguli, E M *c*, duobus lateribus, T M, M *c* trianguli M T *c*, sunt æqualia, & æquales angulos subtendentia, nempè rectos (*ex constructione*;) ergo (*ex* 4. 1.) & basis, T *c*, basi, E *c*, & reliqui anguli reliquis angulis; ac proinde, M T *c*, est grad. 60. Idem dicas de angulo, M T *f*.

Trigonometricè verò, ostenditur, quia duplicata tangens M *a*, grad. 45. quæ est 100000. dat secantem 200000. grad. 60. qualis est, T *c*.

Tertiò, accipiatur, *c e*, æqualis ipsi, T *c*; Dico, punctum, *e*, esse sectionem horæ 7. Angulus enim, *c* T *e*, est grad. 15. spatium vnius horæ. Quod sic probatur. In Triangulo *c* T *e*, cum (*ex constructione*) duo latera, *c* T, *c e*, sunt æqualia, etiam anguli supra basim, T *e*, (*per* 5. 1.) sunt æquales, & simul æquales externo, M *c* T, (*per proposit.* 32. *lib.* 1.) sed iste est grad. 30. Nam totus, E *c* T, probatus est grad. 60. ergo singuli T, E, ad basim sunt grad. 15. eodem modo discurrendum est de puncto, *b*, nempe horæ quintæ.

Trigonometricè autem secans, T *c*, simul cum Tangente, M *c*, grad. 60. æqualis est Tangenti, grad. 75. M *e*, horæ septimæ; vt patet ex Canone Triangulorum.

Quartò, si accipiatur *c d*, æqualis eidem, *c* T; Dico, *d*, esse punctum horæ primæ à Meridie; Angulus enim, *d* T M, ostenditur esse grad. 15. sic in Triangulo, *c* D, anguli supra basim, *d* T, (*ex propos.* 5. *lib.* 1) æquales sunt; angulus autem *c*, est grad. 30. ergo singuli supra basim (*ex propos.* 32. *lib.* 1.) contineat grad. 75. & ab angulo, *d* T *c*, sublato angulo, M T *c*, grad. 60. relinquitur angulus, *d* T M, grad. 15.

Trigonometricè. Secans, T *c*, grad. 60. æqualis est aggregato ex Tangente grad. 60. M *c*, ac Tangente grad. 15. M *d*; ergo ab isto aggregato, *dc*, sublata Tangente grad. 60. M *c*, relinquitur tangens, M *d*, grad. 15.

Quintò. Diuisa, *c f*, in tres partes æquales, in *i*, & *k*, & ductis lineis, T *i*, T *k*, fiunt quatuor Triangula, *c* T *i*, *i* T *m*, M T *k*, *k* T *f*, quorum singuli sunt grad. 30. Nam lineæ, T *i*, T *k*, bifariam diuidunt angulos, *e* T M, M T *f*, quorum quilibet (vt probatum fuit) continet grad. 60. quod autem vterque bifariam diuisus sit, patet (*ex propositione* 9. 1. & 3. 6.) si latus commune, M T, producatur in E, vt fiat æquale lateri, T *c*; ducaturque, T *i*, in basim, E *c*, &c.

Trigonometricè, si *fc* duplum Tangentis grad. 60. diuidatur per 3. emerget quotiens Tangentis M *i*, & M *k*, angulorum, M T *i*, & M T *k*, quorum quilibet est grad. 30.

Et ex ijs patet demonstratio horarum semissium, quadrantium, &c.

Distantias easdem horarias in Æquinoctiali Arithmeticè determinare sine vllo alio fundamento.

8 DEscripta linea Meridiana, A B, & in ea fixo Stylo, E F; ac diuiso in partes 10. vel 100. vel 1000. tanquam sinu toto; ab E, in L, notetur Altitudinis Poli Regionis (veluti in præsenti exemplo grad. 45.) tangens P. 100. in quot nunc Stylus totus diuisus intelligatur; & ab E, in m, tangens Altitudinis Æquatoris, quæ in præsentiarum est æqualis Altitudini Poli gr. 45. & eius tangens, eadem P. 100. ductisque rectis, L F, m F, habebis triangulum Gnomonicum, L F M; ducesque lineam æquinoctialem, S S, per M, & lineam horæ sextæ per Centrum, L, vt suprà.

Tabella Tangentium pro Horizontali, Verticali, Meridionali, & Polari.

In partibus, quorum totus Radius, F M, est tantùm 10.

Horæ Antemeridianæ	*Horarum Gradus*		*Tangentes*		*Secantes*		*Pomeridianæ*
	G.	M.	P.	M.	P.	M.	
12	0	0	0	0	10	0	12
11 ½	7	30	1	31			½
11	15	0	2	67	10	35	1
11 ½	22	30	4	14			1 ½
10	30	0	5	77	11	54	2
10 ½	37	30	7	67			2 ½
9	45	0	10	00	14	14	3
9 ½	52	30	13	03			3 ½
8	60	0	17	32	20	0	4
8 ½	67	30	24	14			4 ½
7	75	0	37	32	38	64	5
7 ½	82	30	75	95			5 ½
6	*Infinita*		*Infinita*		*Infinita*		6

Trigonometricè verò demonstratur, quia radius cuiuslibet circuli est æqualis Tangenti graduum 45. qualis est M*a*; & M*b*.

Tum secundò, si producatur T*c*, æqualis interuallo *ab*, inter horam nonam, & tertiam Astronomicam; dico *c*, esse punctum horæ octauæ antemeridianæ, & *d*, horæ quartæ pomeridianæ. Angulus enim, M T *c*, (*ex* 32. 1.) est gr. 60. quod vt probetur, accipiatur M E, æqualis ipsi M T, & ducatur, E *c*, erit triangulus, E T *c*, æquilaterus; nam in triangulis, E M *c*, & T M *c*, rectangulis in M, duo latera, E M, M *c*, trianguli, E M *c*, duobus lateribus, T M, M *c* trianguli M T *c*, sunt æqualia, & æquales angulos subtendentia, nempè rectos (*ex constructione*;) ergo (*ex* 4. 1.) & basis, T *c*, basi, E *c*, & reliqui anguli reliquis angulis; ac proinde, M T *c*, est grad. 60. Idem dicas de angulo, M T *f*.

Trigonometricè verò, ostenditur, quia duplicata tangens M *a*, grad. 45. quæ est 100000. dat secantem 200000. grad. 60. qualis est, T *c*.

Tertiò, accipiatur, *c e*, æqualis ipsi, T *c*; Dico, punctum, *e*, esse sectionem horæ 7. Angulus enim, *c* T *e*, est grad. 15. spatium vnius horæ. Quod sic probatur. In Triangulo *c* T *e*, cum (*ex constructione*) duo latera, *c* T, *c e*, sunt æqualia, etiam anguli supra basim, T *e*, (*per* 5. 1.) sunt æquales, & simul æquales externo, M *c* T, (*per proposit.* 32. *lib.* 1.) sed iste est grad. 30. Nam totus, E *c* T, probatus est grad. 60. ergo singuli T, E, ad basim sunt grad. 15. eodem modo discurrendum est de puncto, *b*, nempe horæ quintæ.

Trigonometricè autem secans, T *c*, simul cum Tangente, M *c*, grad. 60. æqualis est Tangenti, grad. 75. M *e*, horæ septimæ; vt patet ex Canone Triangulorum.

Quartò, si accipiatur *c d*, æqualis eidem, *c* T; Dico, *d*, esse punctum horæ primæ à Meridie; Angulus enim, *d* T M, ostenditur esse grad. 15. sic in Triangulo, *c* D, anguli supra basim, *d* T, (*ex propos.* 5. *lib.* 1) æquales sunt; angulus autem *c*, est grad. 30. ergo singuli supra basim (*ex propos.* 32. *lib.* 1.) contineat grad. 75. & ab angulo, *d* T *c*, sublato angulo, M T *c*, grad. 60. relinquitur angulus, *d* T M, grad. 15.

Trigonometricè. Secans, T *c*, grad. 60. æqualis est aggregato ex Tangente grad. 60. M *c*, ac Tangente grad. 15. M *d*; ergo ab isto aggregato, *dc*, sublata Tangente grad. 60. M *c*, relinquitur tangens, M *d*, grad. 15.

Quintò. Diuisa, *c f*, in tres partes æquales, in *i*, & *k*, & ductis lineis, T *i*, T *k*, fiunt quatuor Triangulo, *c* T *i*, *i* T *m*, M T *k*, *k* T *f*, quorum singuli sunt grad. 30. Nam lineæ, T *i*, T *k*, bifariam diuidunt angulos, *e* T M, M T *f*, quorum quilibet (vt probatum fuit) continet grad. 60. quod autem vterque bifariam diuisus sit, patet (*ex propositione* 9. 1. & 3. 6.) si latus commune, M T, producatur in E, vt fiat æquale lateri, T *c*; ducaturque, T *i*, in basim, E *c*, &c.

Trigonometricè, si *fc* duplum Tangentis grad. 60. diuidatur per 3. emerget quotiens Tangentis M *i*, & M *k*, angulorum, M T *i*, & M T *k*, quorum quilibet est grad. 30.

Et ex ijs patet demonstratio horarum semissium, quadrantium, &c.

Distantias easdem horarias in Æquinoctiali Arithmeticè determinare sine vllo alio fundamento.

8 DEscripta linea Meridiana, A B, & in ea fixo Stylo, E F; ac diuiso in partes 10. vel 100. vel 1000. tanquam sinu toto; ab E, in L, notetur Altitudinis Poli Regionis (veluti in præsenti exemplo grad. 45.) tangens P. 100. in quot nunc Stylus totus diuisus intelligatur; & ab E, in *m*, tangens Altitudinis Æquatoris, quæ in præsentiarum est æqualis Altitudini Poli gr. 45. & eius tangens, eadem P. 100. ductisque rectis, L F, *m* F, habebis triangulum Gnomonicum, L F M; ducesque lineam æquinoctialem, S S, per M, & lineam horæ sextæ per Centrum, L, vt suprà.

Tabella Tangentium pro Horizontali, Verticali, Meridionali, & Polari.

In partibus, quorum totus Radius, F M, est tantùm 10.

Horæ Anteme ridianæ	*Horarum Gradus*		*Tangentes*		*Secantes*		*Pomeridianæ*
	G.	M.	P.	M.	P.	M.	
12	0	0	0	0	10	0	12
11 ½	7	30	1	31			½
11	15	0	2	67	10	35	1
11 ½	22	30	4	14			1 ½
10	30	0	5	77	11	54	2
10 ½	37	30	7	67			2 ½
9	45	0	10	00	14	14	3
9 ½	52	30	13	05			3 ½
8	60	0	17	32	20	0	4
8 ½	67	30	24	14			4 ½
7	75	0	37	32	38	64	5
7 ½	82	30	75	95			5 ½
6	*Infinita*		*Infinita*		*Infinita*		6

9 Tum, quoniam ex dictis *lib.* 1. *Episag.* 3. *cap.* 3. *num.* 8. Circuli horarum omnium Æquatorem in 24. partes æquales diuidunt; ideò singulis horis integris competunt grad. 15. singulis autem earum Semissibus grad. 7. m. 30. cępta semper Enumeratione à Meridiano; distabuntque horariæ sectiones communes Circulorum horariorum, & lineæ æquinoctialis, hinc inde à linea Meridiana, intercapedinem tangentium graduum horarum ipsarum; in partes, in quarum decem nempè 100. aut 1000. Æquatoris Diameter, *m* F, diuisus intelligitur, tanquam sinus totus; Vt in linea H G, sectio, *m* F.

10 Translatis igitur hinc, & illinc à sectione, *m*, super Æquinoctialem SS, tangentibus horarum, vt in superiori Tabella ordinantur, si per inuenta puncta ex L, centro, lineas duxeris, habebis Horologium Horizontale Astronomicum optatum.

Methodus autem similium Tabellarum construendarum, vide infra, *praxis* 4. *à num.* 13.

Demonstratio patet ex Demonstratione superioris modi *num.* 7. allata.

Aliter itidem Arithmeticè per Arcus Horizontis.

11 DAtis lineis Meridiana, A B, horæ sextæ, Æquinoctiali S S; ac triangulo Gnomonico, L F M; Centro, L, describatur versus Boream Semicirculus, in cuius Peripheria vtrinque à Meridiana numerentur arcus Horizontales Horarum, inuenti in sequenti Tabula, è Regione datæ Altitudinis Poli; & ex centro, L, per terminos numerationis Arcuum ductæ rectæ lineæ, dabunt horas Astronomicas, cum Sectionibus; siue punctis horarum in Æquinoctiali; sicut in praxibus præcedentibus.

12 Vel vtrinque à Meridiana, Centro, L, applicetur Centrum Quadrantis Mirifici descripti supra *prax.* 2. *cap.* 2. *Episag.* 2. sic enim statim numeratis Arcubus prædictis, Horarium Astronomicum; dicto citius effinges. In quo (vt etiam in reliquis) Gnomon, seu Stylus proprius, tum rectus, tum Obliquus, ex triangulo Gnomonico innotescet.

Methodus eiusdem Tabulæ, ad quamcumque Altitudinem Poli supputanda.

13 Vt Radius; Ad sinum Altitudinis Poli; Ita Tangens distantiæ à Meridiano cuiuslibet circuli horarij in Æquatore (accipiendo pro distantia hor. 1. & 11. grad. 15. pro hor. 2. & 10. grad. 30. &c.) Ad Tangentem distantiæ quæsitæ; scilicet Anguli, quem singuli circuli horarij faciunt in centro, L, cum Meridiana, L B; *in superiori figura num.* 1. *huius prax.*

Vel Logarithmo altit. Poli addas Mesologarithmum distantiæ horariæ in æquatore; colliges Mesolog. Anguli, siue distantiæ quæsitæ.

Exemplum. Quæratur Angulus, siue distantia hor. 1. & 11. sub Altitud. Poli grad. 53.

Logarithmus Altitud. Poli, grad. 53.	990235.
Mesologarithmus distantiæ, grad. 15.	942805.
Mesologarithmus Anguli hor. 1. & 11. gr. 12. m. 5.	943040.

TA-

TABVLA ARCVVM HORIZONTALIVM

inter Meridianum, & Verticalem primarium interceptorum, pro Horologijs Horizontalibus, & Verticalibus à grad. 35. ad 55. supputanda.

Altitudines Poli pro Horizontalibus.

Horæ à Merid.	12	1	2	3	4	5
Horæ à Med.no.		11	10	9	8	7
G.	G. M.	G. M.	G. M.	G. M.	G. M.	G.
35	0 0	8 43	18 18	29 49	44 49	64
36	0 0	8 57	18 46	30 32	45 30	65
37	0 0	9 10	19 9	31 2	46 11	66
38	0 0	9 22	19 34	31 37	46 50	66
39	0 0	9 33	19 58	32 11	47 28	66
40	0 0	9 45	20 21	32 44	48 7	67
41	0 0	9 57	20 44	33 16	48 39	67
42	0 0	10 10	21 7	33 46	49 12	68
43	0 0	10 22	21 29	34 18	49 44	68
44	0 0	10 32	21 51	34 47	50 16	68
45	0 0	10 43	22 12	35 17	50 46	69
46	0 0	10 54	22 33	35 44	51 15	69
47	0 0	11 5	22 53	36 11	51 42	69
48	0 0	11 17	23 13	36 37	52 9	70
49	0 0	11 25	23 33	37 3	52 35	70
50	0 0	11 35	23 52	37 28	53 0	70
51	0 0	11 45	24 9	37 52	53 24	70
52	0 0	11 55	24 27	38 15	53 46	71
53	0 0	12 5	24 43	38 37	54 8	71
54	0 0	12 13	25 2	38 58	54 29	71
55	0 0	12 22	25 18	39 19	54 49	71

Altitudines Poli pro Verticalibus.

G.
55
54
53
52
51
50
49
48
47
46
45
44
43
42
41
40
39
38
37
36
35

Quo-

Tabula Tangentium rectarum pro Arcubus, in Horologio Horizontali, delineandis, ad Altit. Poli grad. 45.

	♋	♌ ♊	♍ ♉	♎ ♈	♏ ♓	♐ ♒	♑	
Horæ à Meridie.	*Tangentes.*	*Tangentes.*	*Tangentes.*	*Tangentes.*	*Tangentes.*	*Tangentes.*	*Tangentes.*	*Horæ pomeridia.*
	P. M.	P. M.	P. M.	P. M.	P. M.	P. M.	P. M.	
12	3.94	4.62	6.62	10.00	15.10	21.64	25.39	12
11	4.60	5.26	7.23	10.69	16.07	23.13	27.25	1
10	6.37	7.01	9.06	12.91	19.35	28.56	34.35	2
9	9.08	9.82	12.30	17.32	26.84	43.31	55.76	3
8	13.12	14.19	17.92	26.46	47.66	113.54	232.14	4
7	19.85	21.86	29.57	53.69	260.31	137.82		5
6	34.01	39.71	70.26					6
5	87.09	137.82						7

13 Poterit autem quiuis, datis Altitudinibus Solis ad suæ Regionis Altitudinem Poli Horizontalis Calculo exaratis, Tabulam similem conficere hoc artificio. Ex Tabulis Sinuum excerpe Tangentem complementi Altitudinis cuique horæ competentis; & assequeris intentum. Ratio est, quia, vt fusiùs habetur infra *part. 2. lib. 1. cap. 1. prax. 9.* Tangentes complementorum Altitudinum, sunt longitudines Vmbrarum in partibus Styli diuisi in 10. vel 100. vel 1000. In Horologijs enim construendis, vt innuimus supra, statuitur tanquam sinus totus, siue radius; Æquatoris Diameter, pro punctis Horarijs; & stylus pro Arcubus, & parallelis Zodiaci; vterque decem diuisus in partes, quarum singulæ centenis minoribus constant, & sic totus millenis.

14 Quare si Tabulæ Sinuum, Tangentium, & Secantium, sint ad radium 100000.00. in Tangentibus, & Secantibus excipiendis, sunt relinquendæ semper quatuor posteriores figuræ; ex reliquis verò prioribus, ad Tabulas Gnomonicas conficiendas retentis, duæ posteriores puncto separandæ; & figura, vel figuræ punctum eiusmodi præcedentes; decimas Diametri præ-

dicti,

dicti, vel styli partes dabunt; sequentes verò punctum, decimæ vnius partes centesimas.

15 Vbi mirandum omninò, in re tàm facili, tàm breui, ac dilucida, quantasper implicatas ambages, digrediantur Auctores alioqui præstantissimi; adeò, vt miseris Tyronibus, ad aquam Sapientiæ piscantibus, omnia sepiarum ad instar (vt habet *Plin. lib.9. cap.29.*) effeso atramento infuscasse videantur.

Specialis Methodus inscribendi parallelos planis Conotomis, quibus Polus Mundi attollitur, vel exactè grad.66. m.30. vel amplius, minus tamen gradibus 90.

16 EX Doctrina *num.16. cap.8 Episag. 3.* quando supra planum Conotomum Polus grad.66. m. 30. ad vnguem eminet, Sol in eodem plano, Gnomonis vmbra, parabolas describit; & quando vltra hos gradus eleuatur, minus tamen gradibus 90. (*ex num.17. eiusdem capitis*) Ellypses delineat.

17 Primùm itaque in dato plano iuxta datam eleuationem Poli, (*ex cap.6. Episag.3.*) describatur Analemma, & (*ex praxi secunda huius capitis*) fundamentale Diagramma.

Tum parabola describatur *per propositionem primam, cap.9. Episag.3.* Vbi in figura 33. triangulus Conicus, A B C, repræsentat Conum, quem Sol Gnomonis vmbra describit existens in parallelo declinationis grad.66. m. 30. Sectio, L E, erit semper linea Meridiana plani; vt etiam Sectio, D E, *in figura 34. sequenti;* Vertex autem parabolæ, est semper Sectio communis radij Solaris, & Meridianæ, quæ Sectio ex iam descripto Analemmate manifestissimè apparet.

Hinc tertiò, si *per primam, vel secundam Methodum eiusdem primæ propositionis* infra verticem, L, vel, D, ipsi Meridianæ, L E, vel, D E, rectæ ducantur perpendiculares, hinc, & illinc terminatæ per præcepta ibidem tradita curua per extrema ipsarum perpendicularium (*per praxim 5. cap.2. Episag.2.*) ducta, erit parabola optata.

18 Ellypsis in dato plano, supra quod Polus vltra prædictos gradus 66. m. 30. eleuatur, describetur *per propositionem secundam eiusdem cap.9. Episag.3.* obseruando similiter in figura 35. ibidem posita triangulum, A B C, Solarem Conum designare; ac sectionem Conicam, D B, in plano Conotomo semper esse lineam Meridianam. Vertices autem Ellypseos, radiorum Solarium, A C, & A B, sectiones communes sunt, ac Meridianæ, videlicet B, & D, quæ semper ex Analemmate apparent. Itidem Axis maior, semper est Meridianæ portio, intra Vertices, D, & B, intercepta, scilicet ipsa, D B; Semiaxis verò minor est, N m, æqualis mediæ proportionali, N P, & perpendicularis Axi maiori, excitata à puncto, N, ipsius Axis B D, bifa-

riam secti. Quibus positis Ellypsin describere in dato plano ex præceptis *ibidem propos. 2. citat.* satis in promptu est.

Praxis V. Dato fundamento Horologij Astronomici ex praxi secunda, & tertia huius capitis, cum Tropicis ex praxi præcedenti; Italicas, & Babylonicas horas delineare.

1 HOræ Italicæ numerantur ab Occasu, & Babylonicæ ab Ortu, vt dictum fuit supra *num. 7. & 11. cap. 3. Episag. 3.*

Quomodo autem earum paralleli diuidantur vide *cap. 6. num. 13. Episag. 3.*

Quales sint earum circuli Horarij; quomodo in Sphæra descripti intelligantur; quales cum circulis Horarum Astronomicarum sectiones faciant, explicauimus *eodem num. 11. cap. 3. Episag. 3.*

2 Primus igitur modus Sciatherici vtriusque, Italici, scilicet, & Babylonici describendi, sit iste.

Fig. 48.



Primùm Sectiones singulas Æquinoctialis sumptas semper ex puncto, T, hoc est, T 1. T 2. T 3. T 4. T 5. transferas super lineam horæ sextæ, vtrinque à centro, L. Vel (quod idem est) in eadem linea horæ sextæ, hinc, inde ex L, imprime puncta secantium (quæ habentur in prima Ta-

bella

bella superioris praxis, in partibus Diametri Æquatoris, E m,) horarum 12. 1. 2. 3. 4. & 5.

Puncta huiusmodi in linea horæ sextæ, ad Horographi sinistram, singula (excepto puncto horæ 12.) binis Horarijs lineis Italicis deseruiunt; dextrorsum autem Babylonicis; sic.

T 12		18.		6.
T 1		19. & 17.		5. & 7.
T 2	Sinistrorsum pro Italicis.	20. & 16.	Dextrorsum pro Babylonicis.	4. & 8.
T 3		21. & 15.		3. & 9.
T 4		22. & 14.		2. & 10.
T 5		23. & 13.		1. & 11.

Puncta verò Arcuum Horarum Astronomicarum in Æquinoctiali à puncto horæ quintæ Astronomicæ, ad punctum horæ septimæ, singula, singulis Italicis, ab hora 23. ad 13. respondent. Atqui à puncto horæ 7. Astronomicæ, vsque ad punctum horæ 5. singula horis singulis Babylonicis, ab hora prima ad vndecimam vsque.

Exempli causa; applicata regula puncto horæ 23. in linea horæ 6. n o, ad sinistram, & puncto horæ quintæ Astronomicæ in Æquatore, duces intra Tropicos, lineam, siue Arcum horarium horæ 23. Italicæ. Rursus applicata regula sectioni hor. 22. sequentis in eadem linea horæ sextæ, & puncto sectionis horæ quartæ Astronomicæ in Æquatore; habebis lineam horæ 22. pro Italico; & sic in alijs procedendo ex ordine in punctis Æquatoris, vsque ad punctum horæ 7. Astronomicæ, per quod transit Arcus horæ 13. Italicæ. At quoad puncta in linea horæ 6. ducta linea hor. 18. pro hor. 17. regrediendum est ad punctum horæ 19. quod, ex superiori Tabella, & ex numeris ipsius lineæ sextę, eidem inseruit; & sic punctum horæ 20. deseruit etiam ducendę horę 16. &c. quę omnia proportionaliter applicanda sunt horis Babylonicis, vt fitis apparet in Graphide.

3 Horam 12. Italicam in omni Poli eleuatione indicat pars dextera lineę Verticalis, siue Horizontalis, C P; intra tropicum Cancri, & eiusdem pars sinistra est linea horę 12. Babylonicę. Sin autem hęc linea non fuit ducta à principio, spatium inter Æquinoctialem, & lineam horę sextę bifariam diuide, & per punctum diuisionis ducta parallela Æquinoctiali, erit Verticalis quęsita. *Coroll. Def. 34. cap. 3. huius libri.* Æqualiter enim distare debet à linea Æquinoctiali, & horę sextę à Meridię.

4 Vndecima Italica, & vndecima Babylonica, vnam, & eandem lineam efficiunt. Quo fit, vt ex illis quęlibet altera adminiculo puncti sibi oppositę alterius, duci debeat.

5 Sic

5 Sic vtraque decima, & nona, Italica, scilicet, & Babylonica.

6 Vel dicamus sic; (quod tamen in idem recidit) vndecima Italica, transit per punctum horæ primæ Babylonicæ; in linea horæ sextę, & per quintam Astronomicam, seu 23. Italicam in Æquatore. Decima per secundam Babylonicam in linea horę sextę, & per quartam Astronomicam, seu 22. Italicam in Æquatore. Nona tandem per sectionem tertię Babylonicę in linea horę sextę, & tertię Astronomicę, seu vigesimæ primę Italicę in Æquinoctiali.

7 Notandum autem *ex Clauio Gnomon. lib. 2. Schol. propos. 11.* duo hęc Horologia, Italicum, & Babylonicum non differre inter se, nisi situ, & ordine horarum; itaut pars sinistra vnius respondeat dextrę alterius, & contrà. Quapropter si Horologium Italicum describatur, inseruiet idem pro Babylonico, si modò inuertatur, vt pars sinistra fiat dextra, & contrà, & ex linea horæ 23. ab Occasu fiat hora prima ab Ortu, & secunda ab Ortu, fiat ex 22. ab Occasu, &c.

8 In præsentis paradigmatis Icònismo, lineæ ex punctis Horologium Astronomicum designant; & eius linearum Horariarum numeri sunt in linea Æquinoctiali; Horæ Italicæ distinguuntur numeris Barbaris, 23. 22. 21. &c. Romanis autem, I. II. III. &c. Horæ Babylonicæ.

Demonstratio translationis sectionum Æquinoctialis in lineam horæ sextæ pro descriptione horarum ab Ortu, & ab Occasu, quæ modò supra *num.* 2. relata est.



In

In apposito Diagrammate fundamentale Sciatherici Horizontalis sub latitudine Poli grad. 45. existentibus omnibus, vt supra *praxi 3. num. 7. huius capitis*; centro facto in L, Polo Sciatherici; ad interuallum Semidiametri Æquatoris, F *m*, describatur circulus, I K F, infra Austrinum Horizontis punctum, A, grad. 45. Hic (*ex num. 10. cap. 3. & num. 1. cap. 4. Episag. 3.*) probatur parallelus semper delitescentium maximus. Nam præcipua huius paralleli conditio est; vt infra Austrinum Horizontem ad interuallum altitudinis Poli depressus lateat, ipsumque Horizontem tangat: Sed circulus iste apparet esse huiusmodi; ergo, &c. Probatur minor. Quia infra Horizontem, A B, deprimitur totam quantitatem Anguli, F L E; sed hic (*per 28. 1.*) est æqualis angulo, G F B, graduum 45. altitudinis Poli Borealis, G, supra Horizontem, A B; quem (si circuli omnes essent eleuati extra planum, in proprio, & naturali situ) etiam tangeret in I, sicut modo tangit in N; ergo, &c. Præterea, quoniam planum huius paralleli, L N, ipsi, F *m*, plano Æquatoris est parallelum; etiam ipsorum sectiones communes cum plano Sciatherici, Z Y, (*ex 16. 11.*) sunt parallelæ nimirum sectio, K L, ipsi S *m*; Et quia ambo hæc plana eidem Meridiano (*per 15. 1. Theod.*) ad rectos sunt angulos; ideò eædem quoque ipsorum sectiones, Meridianæ sectioni communi cum plano eodem, Z Y (*per 19. 11.*) sunt ad angulos rectos.

A Centro itaque, L, paralleli nunquam apparentium ductæ rectæ, L *l*, L *m*, L *n*, &c. quindenos singulos gradus distantes (*ex num. 10. cap. 3. Episag. 3. lib. 1.*) sunt circuli horarum Astronomicarum; & eorum Tangentes *l t*, *m u*, *n v*, *&c.* (*per num. 11. cap. 3. Episag 3.*) sunt circuli Horarum 23. 22. 21. &c. ab Occasu; quæ ideò secant lineam horæ sextæ Astronomicæ, O P, in punctis communis sectionis planorum. Est autem, *l t*, circulus horæ 23. quia distat gradibus 15. à puncto, I, in quo circulus horæ 24. scilicet Horizon, H L O *m*, (*figuræ num 10. cap. 3. Episag 3.*) tangit parallelum maximum nunquam apparentium, H I N K; & circulum, V H N O, horæ 12. Astronomicæ secat; cui in præsenti figura respondet sectio L Z.

Modo ostendetur quare Secantes ex puncto, T, ad singula puncta Æquatoris, S S, attingentes, translatæ ex centro, L, super lineam horæ sextæ, O P, tribuant puncta respondentia horarum ab Ortu, & ab Occasu. Cùm enim Circulus T V M X, & Circulus L I K F (*ex constructione, & per Def. 1. lib. 3.*) sint æquales, & æqualiter diuisi; habent (*per 27. 3.*) angulos ad centra æquales; vtpotè insistentes æqualibus (scilicet quindenorum graduum) Peripherijs. Sed & quilibet angulus, qui fit ab Horarijs tangentibus circulum, L I K F, & à cadentibus à centro L, ad contactum, cum (*per 18. 3.*) sit rectus, erit (*per 12. Axiom. 1.*) æqualis recto ad M, alterius circuli T V M X; & etiam latus æqualibus istis Angulis adiacens, lateri æquale est; ergo (*per 26. 1.*) & reliqua latera, reliquis lateribus; & reliquus Angulus, reliquo Angulo. Ac proinde iure meritò secans hypotenusa. *Exempli causa*, T *h*, horæ 23. secanti hypotenusæ L *t*, constituitur æqualis. Et sic de reliquis.

Secundus modus Horariorum Italici, ac Babylonici delineandorum.

9 IN Horologio dato Aſtronomico deſcribantur Arcus diurni Horarum 10. & 14. eadem omninò arte, qua ſupra *in praxi 4. num. 4.* deſcripſimus parallelos, ſiue Arcus Zodiaci; ſic.

In Arcu, *acb*, radiarij vtrinque à puncto, *c*, numeretur nota declinatio grad. 14. m. 31. (verſus quidem, *a*, pro declinatione Boreali Arcus diurni hor. 14. verſus autem, *b*, pro declinatione Auſtrali Arcus diurni hor. 10.) & per fines numerationis à centro, F, ductæ rectæ, F 10. F 14. erunt radij illorum punctorum Eclypticæ, in quibus cùm fuerit Sol, Arcum Diurnum efficiet horarum hinc quatuordecim, illinc decem.

10 Vel Arcuum propoſitorum declinatione ignota, in Diametro, *oq*, eiuſdem figuræ radiarij ex centro, *r*, accipe diſtantiam ſectionis radij illius horæ, quæ continet numerum ſemiſſis Arcus quæſiti. Vt in præſenti pro Radio Arcuum diurnorum Horarum 10. & 14. accipies diſtantiam radij horæ 5. & 7. nempè, *rs*; eamque transferes in eandem lineam, *oq*, vtrinque à Radio Æquatoris, FP, ex V, in *t*, & Z; per quæ duo puncta rectæ lineæ ductæ ex F, erunt itidem radij Arcuum propoſitorum horarum 10. & 14. Sic numerata declinatione, nota grad. 35. m. 15. Arcus diurni horarum 18. & 6. Vel diſtantia, *rx*, radij horarum 9. & 3. translata vtrinque ex *u*, in N, & *y*, per vtrumque punctum, *y*, N, ex F, rectas ducens, F *y* 18. & F N 6. habebis Radium hinc Arcus diurni horæ 18. illinc horæ 6.

11 Tum, Arcum propoſitum in Horologio Aſtronomico delineabis vt ſupra; translatis ſcilicet ex radiario diſtantijs radiorum horarum inter L, & Radium Arcus deſcribendi ſuper horarias lineas reſpondentes, ex centro ſemper L, in Horologio.

12 His peractis obſeruo in ſequentibus Tabellis, quas Horas Aſtronomicas interſecent horæ ab Ortu, & ab Occaſu in annotatis Arcubus; & per ſectiones huiuſmodi lineas Horarias propoſiti Sciatherici Italici, vel Babylonici duco, applicata regula. *Exempli cauſa*. Deſcripturus horam 23. Italicam, video ex Tabellis huius horæ lineam, ſiue Arcum horarium, in Arcu diurno horarum 10. interſecare horam 4. à Meridie; in Arcu horarum 12. (quem ſemper linea Æquinoctialis refert) hor. 5. & in Arcu horarum 14. hor. 6. Aſtronomicas à Meridie; ideò per hæc tria puncta ducta linea eſt horæ 23. Italicæ, & ſic in reliquis. Ratio eſt, quia cum hora 23. Italica ſit penultima Diei in omni Arcu Semidiurno, debet ſemper occupare penultimum locum: atqui hora penultima, hoc eſt immediatè ante 24. in Arcu Semidiurno horarum 5. eſt quarta; in Semidiurno horarum 6. eſt quinta; & in Semidiurno horarum 7. erit ſexta; ergo per iſtarum ſectiones cum prædictis Arcubus rectè ducitur hora 23. Italica. Sic hor. 22. Italica ob eandem rationem in omnibus Arcubus Semidiurnis tranſire debet per ſectionem

illius

illius Horæ Astronomicæ, quæ horam vigesimam quartam, seu vltimam diei duabus horis præcedit.

Methodus cuiuscumque Arcus diurni declinationem indagandi, ad quamuis Altitudinem Poli.

13 Fiat, vt Radius ad Sinum Differentiæ, inter Arcum Semidiurnum datum, & Arcum Semidiurnum Æquatoris, qui sex horas complectitur (reducta ea differentia ad gradus;) Ita Tangens complementi Altitudinis Poli ad Tangentem declinationis quæsitæ.

Exemplum. Quæratur declinatio Arcus diurni hor. 14. vel 10. ad Altitudinem Poli grad. 45. Arcus Semidiurnus 7. & 5. differt ab horis 6. hor. 1 hoc est grad. 15. Si igitur fiat, Vt Radius 100000. ad differentiæ hor. 1. idest grad. 15. sinum 25882. ita Altitudinis Poli grad. 45. Tangens 100000. ad Tangentem 25882. cui in Tabula Tangentium respondent grad. 14. m. 31. erit hæc Declinatio quæsita vtriusque Arcus scilicet horarum 10. & 14.

Tabula tripartita Horarum ab Ortu, & Occasu, quæ Astronomicas intersecant in annotatis Arcubus diurnis.

Ex Clauio Gnomon lib. 1. propos. 33. in Scholio.

In Arcu diurno Horar. 10.			*In Arcu diurno Horar. 12.*			*In Arcu diurno Horar. 14.*		
Horæ ab Ortu.	*A Meridie.*	*Ab Occasu.*	*Horæ ab Ortu.*	*A Meridie.*	*Ab Occasu.*	*Horæ ab Ortu.*	*A Meridie.*	*Ab Occasu.*
24	7	14	24	6	12	24	5	10
1	8	15	1	7	13	1	6	11
2	9	16	2	8	14	2	7	12
3	10	17	3	9	15	3	8	13
4	11	18	4	10	16	4	9	14
5	12	19	5	11	17	5	10	15
			6	12	18	6	11	16
						7	12	17
		A M E R I D I E.						
6	1	20	7	1	19	8	1	18
7	2	21	8	2	20	9	2	19
8	3	22	9	3	21	10	3	20
9	4	23	10	4	22	11	4	21
10	5	24	11	5	23	12	5	22
			12	6	24	13	6	23
						14	7	24

Tertius modus vtriusque Horarij delineandi.

14 POtest adijci tertius modus, qui à prima Methodo sequentis praxeos in hoc solùm differt, quod Circulus V B X Y, totus in 24. partes æquales diuidendus est; cœpta numeratione à puncto Occidentali K, horæ 24. versus B.

Quartus modus.

15 ESt & quartus modus Italicum Horarium describendi, lineis Astronomicis datis vel occultis, nimirum si lineæ Horariæ Italicę ducantur quidem per proprias sectiones Æquinoctialis; cœterum ita, vt quælibet sit parallela illi Horariæ ex Astronomicis, quę dimidium numerum Italicę refert.

Exemplum. Sit ducenda linea horę 22. *uf*, (*in figura nu.7. prax.3. huius cap.*) ea ducetur per *f*, quę est eius propria sectio in Æquinoctiali, S S; cœteroqui vndecimę Astronomicę L g, parallela.

Praxis VI. Horas Inæquales, Antiquas, Iudaicas, & Planetarias dictas Horologio Horizontali inscribere.

HOræ Inæquales, Planetariæ, &c. quæ sint, cur ita dictæ, videatur supra *num 6. & 9. cap.3. Episag.3.* Et quomodo earum paralleli secandi, *num.13. cap.6. Episag.3.*

Describuntur autem in primis dupliciter.

Prima Methodus.

1 SInt in præsenti Figura, sicut in fundamento Horizontalis Astronomici, *in 2. praxi huius capitis*, A B, Meridiana; C D, Diameter Verticalis primarij: E F, assumpta, ad libitum, Gnomonis longitudo. L F *m*, triangulus Gnomonicus, constructus *per praxim 2. huius capitis*: I F, Axis Mundi, ad altitudinem Poli, G I, grad. 45. P M, Radius Æquatoris; S S, linea Æquinoctialis: M T, Diameter Æquatoris, æqualis F M, translata ex M, in T, centrum Æquatoris. Tropici autem ducti sunt *per quartam praxim huius capitis*.

2 Modò centro T, describendus est circulus in tali proportione diuisus à Diametro Verticalis, C D, vt portio minor, C Y K, sit ad vnguem æqualis Arcui diurno Capricorni, vel Nocturno Cancri grad. 128. m. 28. Et portio maior, C B K, sit Arcus diurnus Cancri, vel Nocturnus Capricorni grad.

231. m. 32. Talis autem Circulus hac ratione haberi poterit.

3 Radio Æquatoris, P M, ducatur æquidistans grad. 23. m. 30, parallelus Capricorni, Q o, super quem centro a, communis sectionis Axis Mundi, ac interuallum, a Q, circinetur Arcus, Q N O. Tum ex H, puncto communis sectionis paralleli, Q O, & Diametri Verticalis, C D, excitetur linea recta, H N, Axi Mundi, a I, parallela; accipiaturque, a R, æqualis ipsi E T, & ex puncto, R, ducatur eidem Mundano Axi parallela, R Z.

Fig.a 46



Tandem ex centro, a, per sectionem, N, fluat recta, a Z, quoad secet, R Z, in puncto, Z; dico ipsam, a Z, esse radium, ad cuius interuallum centro,

tro, T, descriptus circulus, VBXY, erit diuisus à Diametro Verticalis, CK, in optata proportione. Quod patet *ex Clauio lib.* 1. *Gnomon, Schol. propos.* 1.

4 *Aliter*. A puncto, B, ad alteram partem per quadrantem mirificum, vel Circulum in gradus diuisum, numeretur Arcus Semidiurnus Cancri, (in præsenti exemplo grad. 115. 46.) & per numerationis finem, *b*, ex centro, T, ducatur recta, TK, donec Verticali, CD, occurrat in K; dico lineam, TK, esse itidem circuli quæsiti Semidiametrum.

5 Iam Circuli istius Arcus vterque duodenas æquales diuidatur in partes, & singulis diuisionibus, applicata Regula per centrum, T, ducantur lineæ occultæ, secantes lineam Æquinoctialem in punctis, per quæ rursus ex L, centro Horologij emissæ rectæ, secabunt Tropicos Cancri, & Capricorni in punctis horarum inæqualium. Vnde si respondentia puncta lineis rectis iungantur, descriptum erit Horologium antiquum, Planetarium, &c.

6 *Exemplum*. Describenda sit linea hor. 3. Per punctum, 3. & per centrum, T, ducatur, 3 TE, secans Æquinoctialem in *e*; per hanc sectionem ex centro, L, ducta, L*e*, dat punctum, H, communis sectionis Tropici Cancri, & lineæ horæ tertiæ inæqualis. Rursus per *f*, & T, ducatur, *f* T, secans Æquinoctialem in *g*, & per sectionem ipsius *g*, emittatur ex L, recta L*gh*, Secans Tropicum Capricorni in *h*; erit punctum huiusmodi, *h*, communis sectio Tropici Capricorni, & lineæ horæ 3. inæqualis eiusdem. Sicque nota erunt tria puncta, duo prædicta Tropicorum, H*h*, & punctum horæ nonæ Astronomicæ in Æquinoctiali; per quæ ducta recta, H *h*, est linea horæ tertiæ inæqualis quæsita. Et hac ratione describentur etiam reliquæ; si modò respondentia obseruetur inæqualium cum Astronomicis in Æquinoctiali, vt in Graphide.

Secunda Methodus eiusdem Antiqui Horarij delineandi.

7 DAto Horologio Astronomico cum Semissibus horarum *ex tertia praxi huius capitis*; ac Tropicis *per quartam praxim itidem huius*; inscribantur Arcus diurnus horarum 18. & Arcus diurnus hor. 6. quorum declinatio ad Latitudinem Poli grad. 45. est grad. 35. m. 15. illius quidem Australis; istius verò Borealis; sed quia Arcus diurnus horæ sextæ, vltra Tropicos nimium excurrit, sufficiet Arcus horæ 18. AB. Inscribentur autem Arcus eiusmodi eodem pacto, quo describuntur Tropici *in praxi quarta*, & Arcus diurnus horarum 10. & 14. *in praxi præcedente num.* 9. Vnde in figura Radiarij *num.* 4. *praxis* 4. Radium Arcus horarum 18. refert linea ex punctis, F 18.

Tum ductis lineis iuxta respondentiam horarum Inæqualium; & Astronomicarum, prout in sequenti Tabula, constructum erit Horologium Antiquum.

In Iconismo Arcus horarum 6. ob rationem dictam omissus fuit. Arcus

hora-



horarum 12. ſemper, & vbique eſt linea Æquinoctialis. Arcus horarum 18. vt iam dixi, eſt A B.

Delineanda ſit igitur, *exempli cauſa*, linea horæ primæ inæqualis. Ex Tabula docemur hanc lineam in Arcu diurno 12. horarum tranſire per, C, Communem ſectionem hor. 7. à media Nocte, & ipſius Arcus; & in Arcu horarum 18. per B, communem ſectionem eiuſdem Arcus, & horæ quartæ, & ſemiſſis itidem à media Nocte: ſicut contrà hora vndecima inæqualis in Arcu duodecim horarum, tranſit per D, horæ quintæ à Meridie; & in Arcu horarum 18. per A, communem ſectionem ipſiuſmet Arcus, & horæ ſeptimæ, & ſemiſſis à Meridie.

Tabula, in qua vnico intuitu apparet, quas Horas Aſtronomicas, vel earum ſemiſſes, horæ inæquales interſecent in annotatis Arcubus Diurnis.

Ex Clauio Gnomon. lib. 1. in Scholio propoſ. 33.

In Arcu diurno Horarum 6.		*In Arcu diurno Horarum 12.*		*In Arcu diurno Horarum 18.*	
H. Inæqual.	*A Med. Noct.*	*H. Inæqual.*	*A Med. Noct.*	*H. Inæqual.*	*A Med. Noct.*
12	9	12	6	12	3
1	9 ½	1	7	1	4 ½
2	10	2	8	2	6
3	10 ½	3	9	3	7 ½
4	11	4	10	4	9
5	11 ½	5	11	5	10 ½
6	12	6	12	6	12
A M E R I D I E.					
7	½	7	1	7	1 ½
8	1	8	2	8	3
9	1 ½	9	3	9	4 ½
10	2	10	4	10	6
11	2 ½	11	5	11	7 ½
12	3	12	6	12	9

Tertia Methodus, quæ eſt Arithmetica.

8 Methodus Arithmetica antiqui Horarij delineandi, ſcilicet per Tangentes, & Arcus Horizontales, non differt à delineatione per Tabulam vltimam Gnomonicam; ideò eam libenter hìc miſſam facimus.

Praxis VII. Postquam Horologium absolutum est in charta, quomodo sit in proprio plano, & situ collocandum, & quid circa Stylum expendendum.

1 IN plano, quodcunque illud sit, primùm delineetur Meridiana iuxta *praxim 1. vel 2. capitis 4. huius libri.*

Deinde, plano iam parato superponatur Chartæ folium, cui inscriptum est Horarium, ita, vt huius Meridiana, Plani Meridianæ perfectè congruat; parsque, A, Horologij aspiciat Austrum; B, autem Boream; sicque firmetur glutine, vel opera aduocati socij. Capita, siue extremæ linearum horariarum accuminata subula forentur, vt puncta in plano impressa maneant, & applicata Regula, lineæ horariæ ducantur; velut etiam linea Æquinoctialis; reliquis omnibus omissis, quæ non nisi Sciatherici constructioni deseruiunt.

2 Quoad Stylum, si Horologium descriptum fuit ea Methodo, quam hactenus prosecuti sumus (in qua delineatis Meridiana, & Verticali, primùm quod statuimus est locus, & longitudo styli ad arbitrium) nihil circa eius locum, aut longitudinem manet inquirendum; sed ante, vel post descriptionem Horologij, in plano figendus est, ad ipsum orthogonalis; extra quod eminere debet ad vnguem longitudine in Graphide assumpta.

Quod si stylus fuerit obliquus, vt in Horologijs Astronomicis, debet eius Hypotenusa semper efficere cum plano Angulum Altitudinis Poli; qualis est Angulus, F L E, trianguli Gnomonici, in superioribus Iconismis. Videantur etiam, quæ diximus supra *cap. 1. huius libri, & Def. 12. cap. 3.*

Si verò fortè fortuna contigerit, vt dato Horologio quocunque, Gnomonis, siue styli, aut longitudo, aut locus ignoretur, sequentes canones rei vtrique succurrent.

In Horologio Astronomico Horizontali stylum, & eius locum indagare.

3 LInea horæ sextæ, Meridianam secet in A; segmentum Meridianæ, A M, inter lineam horæ sextæ, & Æquinoctialem, S S, diuidatur bifariam in C. Tùm si Horologium est ad Altitudinem Poli grad. 45. C, erit locus styli; & C M, vel C A, eiusdem longitudo. Sin autem ad aliam Altitudinem fuerit horarium, puta grad. 42. facto centro in C, ad intervallum, C M, describatur Semicirculus, A D M; Deinde



Fig. 48.

N posito

posito vno circini pede in M, communi sectione Meridianæ, & Æquinoctialis, altero extento ad interuallum, M, horæ tertiæ, vel nonæ, secetur Peripheria Semicirculi in, D; tandem per hanc sectionem ducta ad Meridianam perpendicularis, D e, erit stylus quæsitus, in competenti longitudine, D E, & proprio loco, E, constitutus.

In Italico, vel Babylonico Horizontali, stylus, & eius locus patescent.

4 EAdem omninò ratione, qua in Astronomico, si modò memineris horam tertiam, & nonam Astronomicas, in Æquinoctiali coincidere cum 21. & 15. Italicis.

In Horologio Antiquo, vt Gnomonis longitudinem, & locum habeas.

5 IN puncto, M, communis sectionis Meridianæ, & Æquinoctialis (*in præcedenti figura*) super lineam Æquinoctialem, S S, versus Meridiem, A, erigatur Angulus Altitudinis Poli, sub qua constructum est Horologium, vt in præsenti exempso, S M *f*, grad. 42. hinc super, F M, transferatur, M L, æqualis distantiæ horæ tertiæ, vel nonæ, in Æquinoctiali à sectione Meridianæ, M, & ducta recta, *l e*, ex *l*, perpendicularis Meridianæ, erit Gnomon, siue stylus quæsitus, in E; proprio situ, locatus.

In Concauo Horologio styli assequeris longitudinem, & locum.

6 SI diuiso Concaui labrò, siue Horizonte in quatuor partes æquales; per puncta diuisionum, duo fila tendas in crucem; nam styli vertex locari debet in puncto intersectionis vtriusque fili; vbicunque pes locatus fuerit.

Dato in linea Horizontali Gnomonis loco, E, longitudinem eius indagare in quocunque Horologio Verticali Declinante, vel Inclinato.

7 SIt in apposita Figura, A B, Meridiana; C D, linea Horizontalis; C B, Æquinoctialis; E, locus styli datus; sic eius longitudinem ignoratam indagabis.

Spatium Horizontalis, C D, inter sectionem, C, Æquinoctialis, & D,

Meri-

Meridianæ (*per* 10. 1.) bifariam diuide in F; quo cẽtro describatur Semicirculus, C G D, dico E G, perpendicularem ad Horizontem, C D, (*per* 11. 1.) excitatam ex *e*, vsque ad intersectionem Peripheriæ in, G, esse longitudinem Gnomonis quæsitam, in quocũque Horologio Verticali. Siquidem in inclinatis etiam, stylus in Horizonte positus horas feliciter indicat.

Alius traditur modus hac de re à Iulio Fuligatto *Tract. de Horologijs p. 4. cap. 7.*



Problemata, & Praxes Horariorum Verticalium.

Caput VII.

1 VErticale Sciathericum illud Antonomasticè intelligitur, quod planis inscribitur Verticali primario æqui distantibus. Duplex est; Australe, & Boreale. Hoc Boream, Meridiem illud inspicit.

Praxis I. In quo Horarium Verticale essentialiter differat ab Horizontali; Et quomodo sit delineandum, tàm sub Altitudine Poli grad. 45. quàm sub alijs Altitudinibus.

1 HOrizontale, & Verticale differunt in primis Altitudine Poli; tùm ratione Poli ipsius, tùm ratione graduum Altitudinis. Ratione Poli, quia idem est Polus quidem Horizontis, & Verticalis ad Boream; at super planum Verticale ad Meridiem extollitur Polus oppositus. Ratione graduum Altitudinis, quia in vtraque plani superficie Verticalis Altitudo Poli, est semper complementum Altitudinis Horizontalis; ita, vt ista substracta à gradibus 90. reliquatur illa. *Exempli causa*, Romæ supra Horizontem extollitur Polus Arcticus grad. 41. m. 54. ergo ibidem supra planum Verticale ad Meridiem, eleuatur Antarcticus grad. 48. m. 6. ac totidem Arcticus super faciem Verticalem ad Boream.

COROLLARIA.

2 IN Regionibus sub Altitud. Poli grad. 45. (vt hac nostra) idem est omninò Horologium Horizontale, cùm eadem sit Altitudo Horizontalis grad. 45. & eiusdem complementi ad grad. 90.

3 In alijs Regionibus, in constructione fundamenti Horologij Verticalis, pro Altitudine Poli in Arcu, H C, ex H, versus C, (*figura prax. 2. cap. præcedentis*) numerandum est complementum Altitudinis Poli super Horizontem, & in Arcu, G C, pro Altitudine Æquatoris sumenda est ex G, in C,

Altitudo Poli ſuper Horizonte. Ratio eſt, quia in omni plano Altitudo Æquatoris ſemper eſt complementum Altitudinis Poli eiuſdem plani. Vt in loco ſub Altitudine Poli grad. 41. m. 54. Altitudo Poli ſupra planum Verticale eſt grad. 48. 6. & Altitudo Æquatoris in eodem Verticali plano eſt graduum 41. 54. quæ erat Altitudo Poli in Horizonte. Hinc

4 In vſu Tabulæ Arcuum Horizontalium, quæ habetur ſupra *in praxi 3 num. 12. præcedentis capitis*, pro Verticalibus accipiendi ſunt Arcus è Regione grad. 48. in loco ſub Altitudine Poli grad. 42. Reliqua peragenda, veluti in Horizontali.

5 Cum vtriuſque faciei plani Verticalis directi eadem ſit Altitudo Poli, etſi diuerſi; vnica, & eadem operatione vtrumque horarium Verticale, Meridianum, ſcilicet, & Boreum delineabitur. *Vide ſequentem praxim.*

Praxis II. Quomodo idem Horarium Verticale ſoluatur in Auſtrale, & Boreale, & quæ ſubinde mutentur ab his, quæ erant in Horizontali.

1 SI circa lineam Horizontalem, CD, plicetur charta, in qua horarium deſcriptum eſſe ſuppono; pars horarum, quæ infra ipſam lineam in Horizontali Boream aſpiciebat, in pariete, reſpiciens terram, fit Auſtralis; & Tropicus ibi Capricorni, hic fit Tropicus Cancri, & contrà. Sic pars altera, quæ ſupra lineam Verticalem Meridiem ſpectabat cum Tropico Cancri, in pariete Boreali, ſimiliter verſus terram aſpiciens, fit Horologium Verticale Boreale.

2 Horæ quoque mutantur; Matutinæ, & Antemeridianæ in Veſpertinas, & Pomeridianas; ita, vt hora, quæ in Horizontali erat 23. Italica; in Verticali Auſtrali ſit hor. 13. quæ erat 22. 14. &c. In Boreali hor. 21. Horizontalis, ſit 9. Verticalis; 22, 10; 23, 11. & contrà, quæ in Horizontali erant 10. 11. & 12. in Verticali Boreali ſunt 22. 23. 24. Et idem proportionaliter euenit in horis ab Ortu, & à Meridie.

3 Meridionale poteſt indicare horas à ſexta matutina, vſque ad ſextam ſerotinam, Boreale paucas admodum horas indicat.

4 Linea Verticalis, CD, quæ in Horizontalibus ſectionem plani Verticalis cum Horizonte referebat; in Verticalibus horarijs eſt linea Horizontalis, ſeu communis ſectio plani Horizontis, & plani Conotomi.

5 Linea, AB, quæ in Horizontali erat Meridiana, & Subſtylaris; in Verticalibus eſt etiam linea inclinationis. Refert, enim, communem ſectionem circuli inclinationis Meridiani, & plani Conotomi. 22. *Def. cap. 3. huius libri.*

6 Stylus rectus in omnibus idem remanet, atque eundem locum ſeruat. Stylus obliquus in Meridionali habet angulum Altitudinis Poli ſupra planum in centro horarum ſurſum; in Boreali deorſum. 28. & 29. *Def. cap. 3.*

Praxis III. In plano Verticali, dato Stylo, describere lineam Horizontalem, C D, & Inclinationis, seu Verticalis, A B, quæ in hoc plano cum Meridiana, & Substylari coincidit.

1 PLano Verticali applicetur Regula rectilinea, eiusque superiori lateri libella; moueaturque simul cum Regula, donec filum perpendiculi liberè penduli in punctum fiduciale ceciderit: tunc autem secundùm idem latus describatur linea; nam illa erit optata Horizontalis, hoc est communis plani sectio, & Horizontis.

2 Linea Inclinationis, seu Verticalis, quæ (*per Def.* 19. 21. *&* 22. *cap.* 4. *huius libri*) in hoc plano eadem est, ac Meridiana, & Substylaris; ope fili perpendiculi demissi per locum styli, ducetur.

Problemata, & Praxes Descriptionis Horologij Meridiani. Caput VIII.

1 MEridianum Sciathericum (quod scilicet in planis Meridiano æquidistantibus delineatur) est duplex; Orientale, & Occidentale. Vocantur etiam Horologia horæ duodecimæ, quia fiunt in plano æquidistanti circulo hor. 12. Ex quo fit, vt linea tùm Meridiana (*per Def.* 16. *& Coroll.* 2. *cap.* 3. *huius libri;*) tùm hor. 12. (*per Coroll.* 8. *eiusdem*) careant.

Praxis I. Vtrumque Meridianum, Astronomicum eadem operatione delineare.

2 DEscripta Horizontali, C D; centro, E, describatur Semicirculus, C A D; in quo ex, C, versus, A, numeretur Arcus Altitudinis Æquatoris loci (in præsenti exemplo grad. 45.) & ex fine numerationis, S, per centrum, E, ducatur linea Æquinoctialis, S S.

3 Ex, D, versus, A, in H, sumpta Altitudine Poli loci (in præsenti grad. itidem 45.) ducatur Axis Mundi, G H. In quo ex centro, E, in F, accipiatur ad arbitrium Longitudo styli, E F.

4 Centro F, quocumque interuallo describatur Semicirculus, diuidendus in partes 24. pro horis integris, ac dimidijs, & applicata Regula centro, F, per singulas diuisiones emittantur rectæ occultæ, Secantes Æquinoctialem in punctis horarum. Vt *in num.* 2. *&* 3. *prax.* 3. *cap.* 6. *huius libri.*

5 Vel *per praxim* 3. *num.* 5. *cap.* 6. *huius lib.* (loco tamen Diametri Æquatoris, M F, hic accepta longitudine styli, E F; & loco centri, T, hic vertice styli F, substituto) distantiam, F E, transfer ex E, in Æquinoctialem vtrinque in puncta 3. & 9. Distantiam inter 3. & 9. transfer ex F, in puncta 10. & 2. Item ex puncto 10. vtrinque in 11. & 5. & ex puncto 2. in 7. & 1. Deinde interuallum inter 10. & 2. diuide in 3. æquales partes, in punctis 8. & 4. Pro dimidijs horis; accipe distantias inter F, & horas impares.

6 Vel

Fig. 50.



6 Vel tandem Arithmeticè. Diuide in partes decem æquales styli quantitatem, E F; eamque transfer aliquoties in lineam, P Q. Deinde acceptas circino ex hac linea, sic diuisa, Tangentes sequentis Tabellæ, transfer in Æquinoctialem, S S, vtrinque ex E, & habebis puncta horarum integrarum, & semissium, vt priùs.

7 Tùm per hæc puncta ductis lineis (*ex Coroll. Def. 2. cap. 3. huius libri*) perpendicularibus Æquinoctiali, S S; & proprijs adnotatis numeris, absolutum erit Sciathericum vtrumque Astronomicum, Orientale scilicet infra lineam Horizontalem C D; & Occidentale infra lineam, A B, quæ est Axis Mundi.

Demonstratio patet tùm *ex propos. 5. cap. 3.* Tùm *ex prax. 3. cap. 6. huius libri.*

Pro Meridiano Orientali, & Occidentali.

A. M.	Tangentes.		P. M.
4.	5.	77.	8.
½.	4.	14.	½.
5.	2.	68.	7.
½.	1.	31.	½.
6.	0.	0.	6.
½.	1.	31.	½.
7.	2.	68.	5.
½.	4.	14.	½.
8.	5.	77.	4.
½.	7.	67.	½.
9.	10.	00.	3.
½.	13.	03.	½.
10.	17.	32.	2.
½.	24.	54.	½.
11.	37.	32.	1.
½.	75.	95.	½.

Praxis II. Dato Meridiano Astronomico, Tropicos, & quoscunque alios Arcus diurnos inscribere.

1 PEr *num. 6. praxis 4. capitis sexti huius libri*, describatur Radiarium Signorum, L M N R. Cui adde Radium Arcus Diurni horarum 6, & 18, ab L, per T, finem numeratæ eiusdem declinationis ex N, in T, grad. 35. m. 15. ad Altitud. Poli grad. 45. & Radium hor. 10. & 14. cuius declin. gr. 14. 31.

In L N, Radio Æquatoris, ex L, versus N, transfer dati Horologij distantias horarum in Æquinoctiali, sumptas Circino ex F, & per hæc puncta duo perpendiculares ad L N, additis numeris; vt 6, 6; 7, 5; &c.

Ex Æquinoctialis Radio L N, accipe distantias horarum, vsque ad Radium illius Signi, cuius Arcum es delineaturus, easque transfer ex Æquinoctiali Horologij, S S, in lineas horarias vtrinque respondentes; & puncta iungantur curuis lineis, habebis Arcum quæsitum.

2 Cùm autem in hoc Radiario distantiæ horarum hinc, inde ab Æquatore L N, ad quemcunque radium, veluti N M, & N R, sint æquales, sufficeret Medietas Schematis, vt N T.

Fig.ª 51.



Praxis III. Dato ex duabus praxibus precedentibus Horologio Meridiano Astronomico cum suis Tropicis, vtrique Italicum, & Babylonicum eadem operatione inscribere.

1 QVemadmodum *ex prima praxi huius capitis* Meridianum vtrumque Astronomicum, vnica delineauimus operatione; (linea etenim verbi gratia hor. 6. Orient. eadem est, ac hor. 6. Occident. & 7. Orient. est etiam quinta Occidentalis;) sic ob eandem rationem, Italicum, & Babylonicum simul vtrumque, Orientale scilicet, & Occidentale describetur. Eadem siquidem linea cuiuscumque horæ Italicæ vtrique horario deseruit. Exempli causa linea hor. 16. in Orieniali, est hor. 20. in Occidentali: & linea horæ 15. Orientalis, cum hor. 21. Occidentali coincidit. Linea horæ 1. Babylonicæ Orientalis, est etiam horæ 11. Occidentalis. Quæ omnia satis patent in Schemate primæ praxis, in quo lineæ integræ, à numero horæ 9. vs-

que

que ad hor. 18. Horologium Italicum Orientale demonstrant; eædemque à numero hor. 18, vsque ad horam 24. Occidentale constituunt; & lineæ fractæ ex punctis ad vtrumque Babylonicum spectant. Faciliores autem modi illas describendi duo recensentur.

Prima Methodus per Arcus Diurnos hor. 10. & 14.

2 DEsumptis, ex Radiario præcedentis praxis, distantijs horarum à Radio Æquatoris L N, vsque ad radium horæ 10, & 14; ac in lineas horarias respondentes in Horologio praxis primæ huius Capitis, translatis, supra, & infra Æquatorem per ipsarum puncta ducantur Arcus prædicti occulti; & per numerum 12, *praxis 5 cap. 6. huius libri*, ope scilicet Tabularum, quæ ibidem post numerum 13. habentur, horas vtrasque delineabis. *Exempli causa*, linea horæ 15, Italicæ in Horologio Meridiano Orientali, ducetur per punctum, *a*, communis sectionis horæ 8. à Media nocte, & Arcus horæ 10; per horam 9, à Media nocte in arcu horarum 12, idest in Æquinoctiali; & per punctum, *g*, communem sectionem Arcus horarum 14, & horæ 10, à Media nocte, & sic in reliquis.

3 *Nota*, hanc Methodum esse generalissimam, per eamque mira facilitate horas ab Ortu, & ab Occasu in quibuslibet planis (vno Æquinoctiali excepto) designari.

Secunda Methodus; ope linearum hor. 12, & 24.

4 SI Horarium fuerit ad Altitudinem Poli grad. 45. (*vt in præsenti exemplo Figuræ Praxis 1. huius capitis*) linea horæ 12, I K, ducetur per verticem Styli, *f*, Æquinoctiali parallela; & translato spatio E *f*, ex E, in *m*; per punctum *m*, agetur linea horæ 24, siue Horizontalis N O, itidem Æquinoctiali parallela.

5 Sin autem Horarium est ad aliam Altitudinem Poli, quam grad. 45. punctum, *f*, per quod emittas lineam horæ 12, ita inuenies. Facto centro in puncto horæ tertiæ Astronomicæ in Æquinoctiali, quocumque interuallo, describatur Circuli Quadrans (exempli causa in eodem Schemate primæ praxis) *h i*; ex *i*, in *l*, numeretur Altitudo Poli; per *l*, numerationis terminum, & per centrum Quadrantis ducta recta *lf*, secabit H G, in puncto *f*; per quod normalis I K, ducta, erit linea horæ 12. Transferatur autem spatium E *f*, ex E, in *m*, & per ipsum emissa N O, erit linea Horizontalis, siue horæ 24.

6 Vbi lineæ horarum integrarum, & dimidiarum Astronomicarum lineas istas horæ 12, & 24. intersecant, punctis impressis, lineæ horæ 12, pars media, *f* K, & M N, lineæ horæ 24. horis Italicis; pars altera media, *f* I, horæ 12; & *m* O, horæ 24. Babylonicis describendis addicuntur.

7 *Porrò Italica hora sic delineantur*. Horæ 18, tàm Orientali, quàm Occi-

dentali assigna portionem lineæ *d* O, horæ 24, intra Tropicos. Cœteris transuersales ductas per singula puncta (successiuè, nullo prætermisso) dimidiarum *f*K, *m*N, ita, vt vltimum punctum, idest horæ vndecimæ, & semissis, in linea *f*K, respondeat primò in linea, *m*N (cœpta numeratione ab *m*, sursum) quod est punctum sectionis horæ sextæ, & semissis Occidentalis Astronomicæ, per quæ duo puncta, & per sectionem horæ vndecimæ Astronomicæ in Æquinoctiali, ducetur hora Italica decimaseptima Orientalis, & decimanona Occidentalis.

8 *Babylonicæ verò lineæ horariæ* per contraria prorsus puncta delineabis, eadem ratione transuersaliter, duas reliquas inter Medietates linearum prædictarum obliquè oppositas, nempè *f*I, *m*O; sic.

Sit *q*N, Ortiuus Horizon, linea primæ horæ ab Ortu (non tamen primæ ratione huius Horologij, sed Polaris, de quo in sequenti capite) ducetur per punctum horæ semissis Orientalis in linea I *f*, & per punctum horæ sextæ, ac dimidiæ in linea *m* O; & ita deinceps per singula puncta sequentia in eisdem lineis.

9 *Nota*, loco lineæ N O, horæ 24. adhiberi posse Horizontalem C D, si per punctum, *b*, communis sectionis horæ nonæ Astronomicæ, & Horizontalis, ducatur hora decimaoctaua Italica, parallela Æquinoctiali, interuallo E*f*, intra Tropicum terminata in *d*. Reliquæ linearum horariarum per tria puncta; vnum in Horizontali N O, illius Astronomicæ, cuius numerus est semissis Italicæ describendæ; alterum in Æquinoctiali, eius numeri Astronomicæ, qui relinquitur ex numero Italicæ subtractis horis sex; Tertium in linea parallela I K, horæ duodecimæ, quod habetur ex continuatione, (nullo scilicet puncto relicto) post descriptionem horæ decimæseptimæ, cui competit punctum O, horæ vndecimæ, & semissis.

Sic igitur huic eidem horæ decimæseptimæ in Æquinoctiali debetur punctum vndecimæ Astronomicæ, & in Horizontali C D, punctum horæ octauæ, & semissis. Hora itidem decimasexta Italica in Horizontali C D, transit per sectionem, siue punctum quartæ Astronomicæ: In Æquinoctiali per sectionem decimæ; & in parallela K I, per sectionem vndecimæ.

Pro descriptione horæ duodecimæ transferatur Arcus C S, Altitudinis Æquatoris loci, vltra S, in A, & ex hoc puncto A, per centrum E, ducta linea erit duodecimæ Italicæ.

Babylonicæ, siue ab Ortu describuntur ex ordine per duo puncta; alterum in Æquinoctiali SS, alterum in Horizontali C D. *Exempli causa;* Prima describetur per sectiones, & aliarum horarum decussationes, Horizontalem propriores, & sic deinceps, vt in Figura, lineæ ex punctis repræsentant.

Praxis IV. Horas inæquales dato Meridiano Astronomico depingere.

1 DAto, ex superiori prima, & secunda praxi, Meridiano Astronomico cæcis tantùm lineis instructo, inscribantur (*per num. 7. prax. 6. cap. 6. huius libri*) Arcus diurni, siue paralleli horæ sextæ, & decimæoctauæ; scilicet Ar-

cus XY, & XX, *in eadem figura primæ praxis huius capitis.*

2 Arcus XY, in Orientali est parallelus horæ decimæoctauæ; in Occidentali verò parallelus horæ sextæ. Arcus XX, e contra in Orientali est parallelus horæ sextæ, & in Occidentali horæ decimæoctauæ.

3 Est autem Generalis Canon: Arcus, siue lineas horarum inæqualium, transire per sectiones dimidiarum horarum Astronomicarum; singulas quidem in Arcu horarum sex; ternas verò quasque in Arcu horarum 18. & per horas integras in Æquinoctiali; vt patet ex Tabula, quæ habetur supra *in 6. prax. cap 6. cit.* Quibus expensis, etiam sine prædicta Tabula horas inæquales Plano Meridiano inscribentur, sic.

4 *In Orientali*, vbi tertia quæque hora dimidia Astronomica infra lineam Horizontalem CD, numerata, secat parallelum horarum 18. XY, punctum imprime; veluti oI, sectionis horæ quartæ, ac dimidiæ Astronomicæ; oII, sectionis horæ sextæ, &c. per quæ puncta, & per integras horas in Æquinoctiali; necnon per singulas dimidias in arcu XX, si ducantur lineæ intra Tropicos, erit delineatum Horologium antiquum Meridianum Orientale.

Exempli causa, linea horæ primæ inæqualis, ducetur per punctum sectionis horæ quartæ, ac dimidiæ Astronomicæ in parallelo horarum 18. XY; per sectionem horæ septimæ in Æquinoctiali, & per sectionem communem horæ nonæ, & semissis, & paralleli horæ sextæ, XX. Secunda inæqualis, per sectionem communem paralleli horæ decimæoctauæ, & sextæ Astronomicæ; per horæ octauæ in Æquinoctiali, & per communem sectionem horæ decimæ Astronomicæ, & paralleli horæ sextæ; Et sic deinceps iuxta ordinem numerorum I. II. III. &c.

5 *Eadem Methodo, in facie Meridiana Occidentali*, in parallelo, siue arcu XX, horarum 18. notabis puncta XI, X, IX, &c. in communi sectione, videlicet eiusdem paralleli, ac tertiæ cuiusque horæ dimidiæ Astronomicæ, infra Mundi Axem AB, numeratæ: ac per ipsa; & per integras horas Æquinoctialis, necnon per singulas sectiones cuiuslibet horæ dimidiæ in arcu XY, lineas horarum inæqualium intra Tropicos tantùm, duces; sic enim habebis horarium Antiquum, siue Planetarium Meridionale ad Occidentem, in quo horas indicant numeri VII, VIII, IX, X, XI; in Tropico, (hoc est in extremitate propriæ lineæ, cuiuslibet horæ) notandi. Nos enim eos remotiores fecimus; tùm ad puncta prædicta indicanda; tùm ad confusionem numerorum euitandam; qua etiam de causa lineas his numeris in Graphide respondentes omisimus.

Monita in Schema primæ praxeos huius Capitis.

6 IN Schemate prædicto lineæ, quas hor. 12, & 24. appellauimus propriè ad Horologium Polare spectant; in Meridianum verò haud, nisi constructionis gratia eas introduximus.

7 Meridianum vtrumque simul complicatum expressimus, vt praxis eiusdem, cum facilitate, fœcunditatem exprimeremus.

8 Plures horariæ ductæ sunt lineæ Horario quidem Meridiano superuacaneæ; at non certè Polari, cui prorsus idem Schema prælucet; idemque nos, *cap. sequenti*, ne nimis figuræ multiplicarentur, in eiusdem Polaris ectypon, adducemus. Cœteroqui Meridianum pro omnibus horis (vt diximus supra *num. 7. praxis 1. huius capitis*) ad Ortum, est tantùm pars infra Horizontalem C D, & ad Occidentem pars infra lineam A B, Axis Mundi.

9 Pluribus illud implicuimus Horologijs, ac Horographicis Methodis. Quorsum? Tùm Schematismorum gratia; tùm vt appareat, quàm facilis, quàm compendiosa, quàm varietate iucunda sit Ars Horographica, vnico Astronomici Horarij fundamento præmisso. Non itaque omnia necessariò describentur in planis Gnomonicis; sed illud tantùm, quod libuerit, cœteris deletis.

10 Locus styli in omnibus prædictis Horologijs est E; longitudo eiusdem, E *f*.

De Horologio Sciatherico Polari. Caput IX.

1 QVilibet Circulus maximus pro Mundi Polos incedens, Polaris dici posset; Communis tamen vsus apud Horographos, ille solus, quasi Antonomasticè vocatur Polaris, qui per prædictos Polos, & per communes Æquatoris, & Horizontis sectiones incedit; estque Circulus horæ sextæ à Meridie, & Media nocte.

2 Horologium itaque Polare (*ex num. 2. cap. 2. huius libri*) est illud, quod in Plano, huic Circulo Parallelo inscribitur; vnde appellatur etiam Horologium horæ sextæ Astronomicæ. Duplex est, Superius, & Inferius. Illud respicit Zenith, hoc Nadir.

3 Quoad constructionem Polare nihil omninò differt à Meridiano (*de quo in præcedenti capite*) nisi situ, & horarum, numero, ac ordine.

4 Quamobrem Horologium Meridianum totum integrum (quale *in superiori capite prima Praxi delineauimus*) Polare superius fit si in primis ita collocetur, vt Æquinoctialis S S, Horizonti æquidistet, & recta H G, Axis Mundi, Meridiano loci exactè congruat; punctum G, ad Austrum, punctum H, ad Boream vergat; Planum denique ex parte H supra Horizontem eleuetur Altitudine Poli illius loci, in quo Horarium vti volumus.

5 Deinde in superiori facie numeri horarum Astronomicarum ita mutentur, vt hora sexta sit duodecima, & dextrorsum (respectu Horographi) septima fiat prima; octaua fiat secunda, &c. Sinistrorsum quinta mutetur in vndecima; quarta in decima, &c. Hoc enim Horologium Sol illustrat ab hora sexta post Mediam noctem, vsque ad sextam post Meridiem.

6 *Inferius* habebis si easdem lineas horarias in facie opposita Horologij describas, ita, vt singulæ singulis respondeant; mutatis numeris horæ septimæ à Media nocte in Superiore, in horam 5. à Media nocte in Inferiore, &c.

7 *Pro Horis ab Occasu, siue Italicis*, eodem modo collocato Horologij Plano, hor. 18, mutatur in 24; 17, in 23. &c. vsque ad duodecimam, quæ est I p, pars lineæ I K, intra Tropicos. Ex quo patet, cur in superiori capite linea N O, dicatur horæ vigesimæquartæ; & I K, linea horæ duodecimæ, quod etiam in calce eiusdem capitis admonuimus.

8 *Lineæ horariæ Babylonicæ* numerantur à prima, quæ describitur immediatè supra Horizontalem q N, eadem omninò ratione, qua docetur *num. 8. prax. 3. præcedentis cap. vsque ad vndecimam* g S.

9 *Inæqualium horarum lineæ* ducantur vtrinque à Meridiana H G, per singulas sectiones communes horarum dimidiarum Astronomicarum, & paralleli X X; per singulas successiuè integras in Æquinoctiali; & per tertiam quamque sectionem paralleli X Y; additis numeris sicuti in Horizontali, supra *cap. 6. prax. 6.* Quamobrem Meridiana H G, erit linea horæ sextæ. Ducta recta, vltra Meridianam ad Horographi dextram, per primam sectionem Arcus X X; per secundam Æquinoctialis, & per tertiam Arcus X Y (numeratis singulis horis dimidijs) erit hora septima inæqualis. Ducta per sectiones secundam Arcus X X, quartam Æquinoctialis, & sextam Arcus X Y, erit hora octaua inæqualis, & sic proportionaliter in reliquis etiam sinistrorsum.

10 *Nota*, Sciathericum Polare quodcumque, vt supra *num. 4.* collocatum, esse vniuersale, ac vniuerso terrarum orbi seruire. Arcus Zodiaci infra lineam æquinoctialem versus G, descriptus, est Tropicus Cancri; superior, Capricorni.

11 Stylus idem est in omnibus horarijs huius Diagrammatis, sicut in Meridiano. Videatur *præcedens caput, praxi 4. num. 9. & cap. 6. praxi 7.*

Problemata, seu Praxes de Sciathericis Æquinoctialibus. Caput X.

1 ÆQuinoctiale Horologium (*ex cap. 2. huius libri*) est, quod in planis supra Horizontem, Angulo altitudinis circuli Æquatoris eleuatis, inscribitur. Duplex est, Superius, & Inferius. Superius, quod Polum conspicuum respicit, sex menses illustratur à Sole in signis Zodiaci Borealibus versante. Inferius, Polum respiciens non conspicuum, reliquos sex menses Sole Australia signa percurrente, horas indicat.

Praxis I. Horologium Æquinoctiale Astronomicum Superius, & Inferius delineare.

2 CIrculum A B C D, cuiuscumque magnitudinis in vtraque superficie plani descriptum, in partes 24. æquales diuide; Lineas ducas, & numeros adnotes, vt in Figura factum vides, per lineas 24, ductas à centro E. Stylum cuiuslibet longitudinis, eidem centro E, normaliter infige, ita, vt

adactus

adactus per foramen E, inferius etiam promineat orthogonaliter extra superficiem plani respicientis Austrum; Constructum erit Horarium Æquinoctiale vtrumque Astronomicum.

3 Ratio talis diuisionis horarum est, quia Sol horis singulis gradus quindecim motu primi Mobilis percurrit; diuisis autem gradibus 360. integri circuli per 15. prouenit quotiens 24. *Vide cap. 5. prax. 5. num. 3. &c.*

Fig. 52.



Práxis II. Tropicos, & alios Signorum Zodiaci Parallelos Horologio Aequinoctiali inscribere.

PAralleli Signorum descripti in Plano æquinoctiali (*ex num. 10. cap. 8. Episag. 3.*) sunt Circuli, quorum centrum est E; Semidiametri verò ipsorum

forum E*m*, E*n*, E*o*; quæ indagandæ sunt hoc modo.

2 Stylus hactenus indeterminatæ longitudinis, nunc certa (arbitraria tamen) donetur mensura; cui in Meridiana A B, accipiatur æqualis E I. Per punctum I, ducatur K L, ad C D, parallela: eodem centro I, describatur arcus *f g*, in quo ex *f*, versus *g*, (per Tabulam *num.* 5. *prax.* 1. *cap.* 6. *huius libri*) numerentur declinationes initiorum parallelorum Zodiaci, nempè gr. 11. m. 30. pro parallelo Tauri, & Virginis; Scorpionis, & Piscium: grad. 20. m. 12. pro parallelo Geminorum, & Leonis; Sagittarij, & Aquarij: ac tandem grad. 23. m. 30. pro Tropicis, seu parallelis Cancri, & Capricorni, & per singulos numerationis fines ducantur rectæ occultæ, secantes C D, in *m*, *n*, *o*; dico sectiones huiusmodi terminare semidiametros prædictas, quarum interuallo descripti circuli ex E, quæsitos Zodiaci referent parallelos; vt in Graphide Signorum characteres ostendunt.

3 Ratio est, quia quando Sol est in Æquatore vmbra Styli Verticis I, parallela est plano Horologij; ac tùm per rectam I K, exhibetur. Si verò Sol ascendat gradibus vndecim, & semisse, totidem gradibus descendet vmbra: ergo vmbra I O, quæ incurrit in planum in puncto O, spectat ad parallelum declinantem gradibus vndecim, & semisse: at (*ex num.* 10. *cap.* 8. *Episag.* 3.) totus iste parallelus in hoc plano est Circulus; ergo si centro E, interuallo E *o*, circulus describatur, ille erit parallelus prædictus; quem proinde Sole per initia signorum Tauri, Virginis, Scorpionis, & Piscium, gradiente, Styli Verticis vmbra describet.

Praxis III. Horarium Æquinoctiale Babylonicum, & Italicum delineare.

1 DEscripto cuiusuis magnitudinis Circulo A B C D, eique inscripto Tropico Cancri, *ex præcedente praxi*, ducatur linea Horizontalis; (in qua m scilicet cadit extremitas vmbræ Styli datæ magnitudinis, oriente, & occidente Sole) hac ratione.

2 In linea C D, superioris figuræ, ponatur longitudo Styli dati ex E, in H; quo centro describatur arcus P Q, & in eo ex P, in Q, numeretur Altitudo Poli tui loci; per numerationis finem Q, & punctum H, duc rectam Q H, secantem A B, in I; per hoc punctum ducta K L, parallela eidem C D, erit horizontalis quæsita.

3 Tùm Circulum A B C D, ac Tropicum Cancri, in 24. partes æquales diuide, initio facto à puncto Occidentali K pro *Italico*, à puncto L, Orientali pro *Babylonico*; & proxima puncta Arcuum supra, aut infra Horizontalem existentium, coniunge rectis; erit perfectum vtrumque Horologium propositum, in quo lineæ integræ sunt horæ *Italicæ*; fractæ verò, siue ex punctis, *Babylonicæ*.

4 Vel vniuersali Arcuum diurnorum Methodo, de qua supra *cap.* 6. *prax.* 5. *à numero* 9. *& cap.* 6. *prax.* 3. *num.* 2. *&* 3. per Arcum diurnum horarum 14. & 16.

5 De-

5 Describuntur autem Arcus eiusmodi in plano æquinoctiali dupliciter. Primò, inuentam (*ex cap. 6. prax. 5. num. 13. huius libri*) declinationem Arcus diurni horarum 14. quæ est grad. 14. m. 31. enumera in Arcu *fg*; per finem numerationis, & per centrum E, duc rectam, secantem CD, in T; ex centro E, per sectionem T, descriptus punctis circulus, vel tantùm Arcus RRR, infra Horizontalem KL, erit Arcus diurnus horarum 14. superior nocturnus.

6 Eadem ratione describatur Arcus diurnus horarum 16. SSS, cuius declinatio ad Altitudinem Poli grad. 45. est grad. 26. m. 34.

7 Secundò, describuntur ijdem Arcus facillimè per puncta sectionum communium horarum Astronomicarum, & Horizontis KL. Ita Arcus horarum 14. describitur per punctum R, communis sectionis Horizontis, & horæ quintæ, à Media nocte, vel horæ septimæ, à Meridie: & Arcus diurnus horarum 16, per, S, sectionem horæ quartæ, à Media nocte, vel octauæ, à Meridie.

8 Tùm *horæ Italicæ*, & *Babylonicæ* per sectiones communes Arcuum istorum, & horarum Astronomicarum solito more delineantur. Nam inter Italicas, siue horas ab Occasu, Horizontalis IK, est hora vigesimaquarta; deinde infra Horizontem hora vigesimatertia in Arcu horæ decimæsextæ, ducenda est per horam septimam à Meridie; in Arcu horæ decimæquartæ, per sectionem horæ sextæ, à Meridie. Hora vigesimasecunda, in Arcu horæ decimæsextæ, per sectionem horæ sextæ, à Meridie, & in Arcu horæ decimæquartæ, per sectionem horæ quintæ, à Meridie, &c. Hora autem prima ab Ortu ducenda est in Arcu horæ 16. per sectionem horę 5. à Media nocte, & in Arcu horę 14. per sectionem horæ 6. Hora secunda in Arcu horæ 16. per sectionem horæ 6. à Media nocte; & in Arcu horæ 14. per sectionem horæ 7. Et sic deinceps, vt in Schemate; & erit absolutum Horologium Æquinoctiale *Italicum*, & *Babylonicum*, vt prius.

Praxis IV. Horas Antiquas in Plano Æquinoctiali describere.

1 DEscriptis circulo ABCD, & (*per 2. prax. huius capitis*) Tropico Cancri, ductaque (*per præcedentem prax. num. 2.* vel *per num. 3. prax. sequentis*) Horizontali KL; singuli Arcus Circuli vtriusque ABCD, & Tropici Cancri, tàm supra, quàm infra Horizontalem duodenas æquales diuidantur in partes; singulaque puncta infra Horizontalem respondentia iungantur lineis, siue rectis, siue curuis, parum interest; perfectum erit Horologium Æquinoctiale Antiquum.

2 Aliter ope Arcus diurni horarum 6. & 18. Accipiatur in Arcu *fg*, ex *f* in *g*, declinatio Arcuum ipsorum grad. 35. m. 15. per numerationis finem ex centro E, ducatur recta E*p*, secans CD, in *p*; & centro E, per *p*, descriptus circulus, infra Horizontalem KL, dabit Arcum diurnum horarum 18. supra horarum 6.

Vel sine declinatione idem Circulus describetur per sectionem commu-

nem

nem Horizontalis, & horæ tertiæ à Media nocte, aut nonæ à Meridie.

3 Porrò hora prima inæqualis ducenda est in Arcu diurno horarum 18. per horam quartam, & semissem, à Media nocte, & in nocturno horarum 6. per horam nonam, & semissem à Meridie. Hora autem secunda per hor. 6. à Media nocte in Arcu horarum 18. & per hor. 10. à Meridie in Arcu horarum 6. Et sic successiuè in reliquis iuxtà *num. 3. & 4. prax. 4. cap. 8. huius libri.*

Praxis V. Horologium Æquinoctiale rectè collocare, vt horas indicet, & de Æquinoctiali inferiore.

1 Æquinoctiale horarium, tàm *Superius*, quàm *Inferius* collocatur ita, vt C D, linea horæ 6. Horizonti æquidistet, & planum totum versus Meridiem super Horizontem eleuetur angulo Altitudinis Æquatoris; vt in hac nostra Regione grad. 45. Punctum C in superiori, ad Ortum; D, verò, ad Occasum vergat. Et A B, lineæ Meridianæ in plano Æquinoctiali inuentæ (*per 1. aut 2. prax. cap. 4. huius libri*) exactè congruat; B terram spectante.

2 Æquinoctiale *Superius* referunt horæ Arcus nocturni, descriptæ scilicet supra lineam Horizontalem K L, vbi tamen in proprio situ si collocetur Horarium, inuersum ordinem seruabunt. De quo videatur *Clauius Gnomon. lib. 2. in Scholio propos. 14.*

Monitum circa lineam Horizontalem.

3 Linea Horizontalis in Æquinoctialibus Horarijs sub altitudine Poli grad. 45. (vt in præsenti exemplo superioris Figuræ) coincidit cum linea K L, cuius ope describendi sunt paralleli, vt in secunda praxi; quare omnis alia opera ad illam indagandam nobis superuacanea est. In alijs autem regionibus specialis Methodus, *in secunda prax. num. 1.* exposita, necessariò est adhibenda; vel aliter, vt *in cap. 6. prax. 6. num. 4. huius libri*, indaganda, beneficio Quadrantis, si modò nota fuerit quantitas Arcus diurni, vel nocturni, Sole, Tropicorum initia, illustrante; in cuius rei gratiam, Tabulam exscripsimus *in Parte 2. lib. 1. cap. 1. prax. 3.*

Problemata, & Praxes Horologij Declinantis.

Caput XI.

1 Horologium declinans est, quod inscribitur Verticalibus Planis declinantibus.

2 Planum declinans est, quodcumque Planum æquidistans alicui circulo Verticali, declinanti à Verticali primario, siue in Ortum, siue in Occasum. Veluti murus ad Horizontem quidem rectus; at non directò spectans ad

senti grad. 45. ex centro D, per L, ducatur recta D L, donec secet Meridianam, veluti in M; huius sectionis punctum, erit centrum Horologij quæsitum. 2. *Def. cap. 3. huius libri.*



3 *Meridiana* Plani declinantis propria, quam *Substylarem* vocant, estque communis sectio Plani declinantis, & Meridiani ad ipsum planum recti, ducetur a centro M, per pedem Styli A, veluti M N. 13. *Def. cap. 3. huius libri.*

4 Ex A, loco Styli erigatur A O, æqualis Stylo A E, perpendicularis ad ipsam M N, & ex centro M, per Verticem Styli O, ducatur recta M P; dico illam esse *lineam Styli*, quæ, & *Axis Mundi*, siue *Axis Æquatoris* nuncupatur. 12. *Def. cap. 3. huius libri.*

5 Vertice Styli O, cadat O Q, perpendicularis ad Axem M P; erit M O Q, *triangulus Gnomonicus* (33. *Def. cap. 3. huius libri*) in quo,

6 A M Q, est *angulus Substylaris*, seu eleuationis Axis; siue Poli Australis supra Planum; in præsenti exemplo grad. 24. 34. cuius vmbra est A M, hoc

est

est P. 26. 15. de quo supra 30. *Def. cap. 3. huius libri*.

7 A O M, est angulus complementi Altitudinis Poli, scilicet Altitudo Æquatoris grad. 65. 26. cuius vmbra A Q, est P. 5. 29. O Q, verò est Radius, seu Diameter Æquatoris.

8 I M A, est angulus declinationis Styli grad. 38. m. 58.

9 Q S R, est angulus inclinationis Meridianorum, loci scilicet M G, & Plani M N, grad. 62. m. 48.

10 *Linea Æquinoctialis (per 15. Def. cap. 3. huius libri)* in Planis omnibus est ad angulos rectos cum linea Meridiana ipsius plani, quæ videlicet est communis sectio illius, & circuli maximi ad ipsum, & ad Æquatorem recti. Vt autem punctum, quo Meridianam Æquinoctialis secat, inueniatur; duo seruentur canones.

Primus. Si planum propositum æquidistet circulo maximo, per Polos Mundi transeunti, linea Æquinoctialis secat Meridianam Plani in ipso puncto, quod est locus Styli. Vt in horario Meridiano, de quo supra *cap. 8.*

Secundus. Si planum propositum, quodcumque illud sit, non æquidistet alicui tali circulo, Æquinoctialis linea Q R, ad ipsam Meridianam M N, Plani propriam orthogonalis ducetur per punctum Q, sectionis communis radij Æquatoris O Q, & ipsius Meridianæ M N. Punctum autem Q, inuenitur, vt supra *num. 5.*

11 *Puncta horaria*, siue sectionum arcuum horariorum in Æquinoctiali (*per num. 2. & 3. prax. 3. cap. 6. huius libri*) habentur hoc modo. Distantia radij Æquatoris O Q, transferatur super Meridianam M N, ex Q, in S: centro S, quocumque interuallo describatur circulus, ex sectione communi Æquatoris, & Horizontalis ducatur diameter T V, & altera ex sectione R, communi Æquinoctialis T R, & Meridianæ loci I G, vtraque per centrum S, in quo si faciant angulos rectos, erit prædictus circulus in quadrantes diuisus; alioquin error in aliquam operationem irrepsit corrigendus. Tùm singuli quadrantes diuidantur in partes duodecim pro horis dimidijs; quibus singulis applicata regula per centrum S, ductæ rectæ occultæ, secabunt

12 Æquinoctialem in horarum punctis; per quæ ex centro M, ducendæ sunt lineæ horarum Astronomicarum, proprijsque numeris distinguendæ, iuxta respondentiam sectionum circuli; ita, vt M G, sit linea horæ 12. lineæ verò Æquinoctialem secantes ad partem sinistram sint horarum ante Meridiem; ad dexteram, post Meridiem, in Horologio à Meridie declinante in Ortum, aut Occasum; in Horologio verò declinante à Septemtrione in Ortum, aut Occasum, lineę ad dexteram tribuant horas Matutinas; ad sinistram Vespertinas.

(?)

Praxis IV. Dato solum Stylo, cæteris omnibus ignoratis, indagare. 1. Lineam plani Meridianam; 2. Æquinoctialem; 3. Axem Æquatoris, siue Mundi; 4. Centrum Horologij; 5 Meridianam loci; 6. Poli eleuationem supra Planum datum; 7. Plani declinationem; 8. Poli eleuationem supra Horizontem; 9. Differentiam longitudinum inter vtrumque Meridianum; 10. Ciuitatem, aut locum, cuius Horizonti, id planum æquidistat.

SIt Stylus A E, dato plano orthogonaliter infixus.

Per idem A, cadat perpendicularis ad Horizontem Verticalis A B; eique ad angulos rectos designetur Horizontalis C D.

1 Centro A, describatur Arcus F G, ad partes, in quas è vertice Styli vmbra cadit. Lucente Sole obseruentur, ac notentur, die eodem, puncta communis contactus vmbræ verticis styli, & ipsius arcus; vnum ante Meridiem, quod sit F, & alterum post Meridiem, G; postmodum arcus F G, diuidatur bifariam in H; per hoc punctum H, & per A, locum Styli, ducta H A I, erit *Meridiana* plano propria, seu linea styli, non secus inuenta, ac Meridiana in plano Horizontali, *per praxim primam cap 4. huius*. Porrò, vt inueniatur linea Æquinoctialis.

2 Postera die obseruetur quam diligentissimè huius lineæ Meridianæ punctum, in quod vmbræ extremitas decidet, veluti K. Quod etiam eodem die, cum Meridiana inuenies, si nimirum non tria, solum ea puncta F, G, K; sed integrum flexuosum vmbræ Solis curriculũ frequẽtibus notabis punctis, mox coniungẽdis linea curua quidem, sed æquali, & sine angulis ductu designanda; qualis est F K G, quæ eandem Meridianam secat in K, & hic modus est mathematicè priori certior; Neque enim idem mathematicè punctum est, in quo hodie, & cras extremitas vmbræ Gnomonis tangit Meridianam.

Fig. 54.



Puncto K, inuento, erigatur A L, Stylo æqualis, Meridianæ H A I, perpendicularis; iungantur L K; centro L, ad partes K, describatur arcus, quem L K, secet in M. Deinde ex Ephemeride disce signum, & gradum Zodiaci, in quo Sol eo die versatur; (*Exemplicausa*, Anno 1675. 31. Maij grad. 9. 55. Geminorum) & eius gradus, & minuti declinationem pete ex Tabula, quæ habetur supra, *num.* 5. *praxis* 1. *cap.* 6. *huius libri.* Inuentæ declinationis gradus 22. numerabis in prædicto arcu A, ex M, in N, versus stylum; per finem numerationis N, ex L, duces rectam L N, secantem Meridianam H A I, in O; & per O, ducta P O Q, perpendicularis ad ipsam H A I, erit linea *Æquinoctialis*. Si autem hæc vmbrarum obseruatio fuerit ipso Æquinoctij die, per suas ipsius vmbras Æquinoctialis Q P, describeretur; ad quam per A, locum styli ducenda esset perpendicularis Meridiana plani H A I, quæ necessariò eam secaret in O; & sic vna, eademque opera inuentum esset etiam punctum O.

3 O, puncto acquisito, & ducto radio Æquatoris L O; designetur per L, recta L I, ad ipsum radium L O, perpendicularis, secans Meridianam plani H A I, in I; erit L I, *Axis* Mundi, seu Æquatoris; & punctum I, *centrum*
4 *Horologij*, ex quo deorsum, beneficio perpendiculi, *Meridiana loci* I P,
5 designabitur. Quibus positis,

6 A I L, est *angulus altitudinis Poli* supra datum planum grad. 24. m. 34.

7 Ab A, versus R, producta verticali, A B, abscindatur A R, æqualis stylo A E, & ex S, in R, ducta S R, dabit *angulum declinationis plani* A R S, cuius quantitas, (in præsenti grad. 54. in Ortum) inuenietur in gradibus arcus A T, ex R, centro descripti.

8 In Horizontali C D, accipiatur S D, ipsi S R, æqualis; ex D, in I, ducta D I, constituet supra Horizontem *angulum eleuationis Poli* S D I, quem metitur arcus S V, (in præsenti exemplo grad. 45.) Connexa autem D P, erit ad ipsam D I, perpendicularis, nisi sit erratum.

9 Angulus O X P, *differentiæ longitudinum*, siue *inclinationis Meridianorum* I P, & I H, conformabitur, si translato in Meridianam I H, radio Æquatoris O L, ex O, in X, ducas X P; Eius autem quantitatem dabit arcus O Y, grad. 62. m. 48.

10 In Mappa, seu Globo Geographico inueniatur Meridiana loci I P, & ab ea, in eiusdem Globi Æquatore numeretur prædicta Meridianorum differentia; (in præsenti exemplo grad. 62. m. 48.) versus Ortum, quia datum planum, ex hypothesi illorsum declinat; (versus autem Occasum si contra declinaret,) & in fine numerationis erit Meridianus plani proprius, qui scilicet ad ipsum rectus est.

Quoniam autem plano isti (*ex num. 6. in principio huius capitis*) eleuatur Polus Antarcticus; quære in ipso Globo inter Æquatorem, & Polum Antarcticum, parallelum latitudinis graduum 24. m. 38. quot videlicet inuentus est angulus A I L, altitudinis Poli supra datum planum: in concursu autem eius paralleli, etiam inuenti Meridiani plano proprij, erit *locus*, seu *regio*, vel *Ciuitas*, cuius Horizonti æquidistat planum hoc nostrum, in quo Horologium

rologium nobis quidem verticale declinans, illi verò Ciuitati Horizontale describeretur; ita, vt si postquam descriptum est, eò deferretur, cum suis tùm Stylo, tùm signis, & lineis, ac illi Horizonti parallelum statueretur, verso ad Septemtrionem centro I; H autem verso ad Austrum; optimè horas, aliaque ostenderet.

Praxis V. Iisdem datis, quibus in praxi tertia, nimirum declinatione plani grad. 54. ad Ortum, & altitudine Poli Regionis grad. 45. eandem tertiam praxim, quoad omnes eius partes Methodo Arithmetica resoluere.

MVltò facilior, & exactiòr est hæc ratio Arithmetica, quam Geometrica, præsertim in horologijs declinantibus.

1 Ductis itaque (*per 2. prax. huius cap.*) Verticali A B, & Horizontali C D, accipiatur in Verticali, ad arbitrium, longitudo Styli A E; quam decem in partes æquales diuides, & aliquoties totam sumes in aliqua longiori linea X Y, vt supra *num. 8. prax. 3. cap. 6. huius libri.*

Fig. a 55.



2 Tangens declinationis muri, accepta in partibus styli, transferatur in Horizontalem C D, ex A, in F; ac tangens complementi eiusdem ex A, in H, si planum in Ortum declinat; è conuerso autem si in Occasum vergit. Vt in præsenti exemplo A F, est tangens grad. 54. nimirum styli partes 13.76.

& A G,

& A G, tangens complementi; partes 7.27. iuxta ea, quæ diximus supra (*num.* 13. & 14. *prax.* 4. *cap.* 6. *huius libri*) de modo tangentium ex Tabulis excerpendarum.

Est autem F, sectio communis Meridianæ loci, & Horizontis; & G, sectio communis Horizontalis, Æquinoctialis; & horæ sextæ. Hinc,

3 Meridiana loci F I, ex puncto F, perpendicularis ad Horizontem emittitur.

4 Iungantur E, F, recta E F (linea declinationis muri) eaque in partes decem æquales diuisa, aliquoties in alia, Z Z, longiori sumatur; Tùm in partibus huius lineæ accepta tangens altitudinis Poli regionis (in præsenti grad. 45. cuius tangens est P. 10. 00.) transferatur in Meridianam ex F, in H; & tangens complementi eiusdem altitudinis Poli (in præsenti eadem, quæ altitudo ipsa) ex F, in I: erit H, centrum Horologij: I, punctum communis sectionis lineæ æquinoctialis G I, & Meridianæ loci H I.

Nota. In Locis sub altitudine Poli grad. 45. tres istæ lineæ E F, F H, F I, semper erunt æquales; in alijs non item.

5 Ex centro H, per locum styli A, ducetur linea substylaris H K; Meridiana dati plani propria.

6 Erigatur ex A, perpendicularis ad ipsam H K, stylus A L, in data longitudine A E; & ducta ex centro H, per styli verticem L, erit Axis Mundi, siue linea styli. Cadat autem ex puncto Verticis L, perpendicularis ad Axem H L, recta L M, erit hæc radius Æquatoris, secans Meridianam propriam plani H K, in puncto M.

7 H L M, est triangulus Gnomonicus.

8 Tùm linea Æquinoctialis G I, tria habet puncta, per quæ ducenda est, videlicet G, M; I, communium sectionum illius, & Horizontalis, Meridianæ plani Gnomonici propriæ, & Meridianæ loci.

9 Quantitas anguli A H L, altitudinis Poli supra planum, hac inuestigabitur Analogia. Vt Radius ad Sinum complementi declinationis muri; ita Sinus complementi altitudinis Poli regionis, ad Sinum altitudinis Poli supra datum planum declinans. Sic

Vt Radius 100000. ad sinum 58778. complementi declinationis muri gr. 54. Ita 70711. sinus complementi altitudinis Poli regionis gr. 45. ad 41563. sinum altitudinis Poli grad. 24. m. 34. supra datum planum declinans gr. 54.

Vel iungatur Logarithmus complem. declin. mur. grad. 54.	976922
Logarithmus complem. alt. Poli reg. gr. 45. in præsenti exemplo	984949
Colligitur Logarithmus anguli prædicti gr. 24. m. 34. vt prius	961871

Angulus iste in superiori tertia praxi est A M O. Eius complementum H O A, grad. 65. m. 26. qui supra ibidem erat A O M.

10 Quantitas anguli inclinationis styli F H A, qui supra *praxi* 3. *num.* 8. erat I M A, habetur si fiat, vt Radius 100000. ad 80902. sinum declinationis muri grad. 54. ita 100000. tangens latitudinis Æquinoctialis gr. 45. 100000. ad 80902. tangentem anguli inclinationis styli, siue distantiæ lineæ substylaris à Meridiana grad. 38. m. 58.

Vel si iungantur Logarithmus declinationis muri grad. 54. 990796
Mesolog. gr. 45. m. 0. compl. alt. Poli regionis in præsenti exemplo 1000000
Fiet Mesologarithmus grad. 38. m. 58. anguli eiusdem. 990796

11 Quantitas anguli tandem M N I (qui supra *num. 9. praxis* 3. erat Q S R) inclinationis Meridianorum, patebit, si fiat. Vt Radius 100000. ad 70711. sinum altitudinis Poli grad. 45. 0. ita 72654 tangens anguli complementi declinationis muri grad. 54. 0. ad tangentem 51374. complementi anguli quæsiti grad. 62. m. 48.

Vel iunctis Mesologarithmo grad. 54. complem. declin. muri 986126
Logarithmo grad. 45. m. 0. altitudinis Poli 984949
Colligitur Mesologarithmus compl. gr. 62. 48. vt prius 971075

12 *Puncta, per quæ ducantur lineæ horarum Astronomicarum tripliciter inuenirí possunt.*

Primus Modus per Arcus Horizontales.

13 PRoducatur sursum linea Verticalis A B, ex A, in O, ad longitudinem styli A E, vel A L; Centro O, describatur circulus; & ab eodem centro O, emittatur radius in F, communem sectionem Meridianæ loci, & Horizontalis. Diuidatur Circulus in grad. 360. more solito, exordiendo à sectione P, lineæ O F.

Tùm ex Tabula *ad numerum* 12. *praxis* 3. *cap.* 6. *huius libri*, accipiantur arcus Horizontales sub altitudine Poli tuæ regionis (in præsenti grad. 45.), & numerentur in peripheria Circuli, ex P, versus Q, pro horis 1, 2, 3, &c. post Meridiem; & ex P, versus A, vel R, pro horis à Media nocte, sine ante Meridiem; nimirum 11, 10, 9, &c. idque in declinantibus ad Ortum; contra verò ad Occasum; & per finem numerationis cuiuslibet arcus ex O, centro, ductæ rectæ cœcæ secabunt lineam horizontalem C D, in punctis, per quæ ex H, horologij centro emittendæ sunt lineæ horariæ Astronomicæ.

14 *Vbi nota primùm*, lineam Meridianam semper esse hor. 12. à Media nocte, & lineam hor. 6. transire debere per punctum G, sectionis communis Horizontalis, & Æquinoctialis.

Secundum. Pro horis antemeridianis, circa horam sextam, scilicet 5, 4, 3, &c. in peripheria ex G, versus R, transferenda sunt arcuum complementa ad grad. 90. *Exempli causa*, hora 5. non est in peripheria notandus arcus 69. 15. sed eius complementum grad. 20. m. 45. Vel idem arcus peripheriæ G S, respondentis horæ 7. transferendus ex G, in I, pro hora 5. & G V, horæ 8. ex G, in X, pro hora 4. &c.

Sc-

Secundus Modus per tangentes in Horizontali hinc, & illinc à loco Styli.

15 SI planum Ortum respexerit, desumantur ex Tabula, vt in modo præcedenti, arcus Horizontales, respondentes singulis horis, sub data latitudine loci. Si tales arcus fuerint horarum Pomeridianarum, addantur gradibus declinationis muri, & ab illis subtrahantur, si fuerint horarum ante Meridiem. Quod si arcus maiores sint, declinatio Plani subducetur ab ipsis: & eorum summæ, vel differentiæ tangentes in partibus Styli, numeratæ ex A, loco Slyli, in Horizontali, dabunt puncta, per quæ lineæ horarum Astronomicarum, ex H, centro horarij, ducantur.

Tangentes autem horarum, quarum arcus Horizontales adduntur declinationi muri declinantis ad Ortum, aut ab eadem subtrahi possunt, transferendæ sunt in lineam Horizontalem, ex A, loco Styli, versus Horographi dexteram; at cum arcus horarum à declinatione amplius subduci non possunt, sed ipsa declinatio ab illis subtrahenda est, fit transitus Styli, tangentesque residui transferuntur ad sinistram.

Exemplum: Sit in dato plano declinante ad Ortum grad. 54. sub latitudine Poli regionis grad. 45. vbi arcus Horizontales se habent sicut in hac Tabella.

Horæ antemerid.	*Arcus Horizontales.*		*Horæ pomerid.*
	G.	M.	
12	0.	0.	12
11. $\frac{1}{2}$.	5.	19.	$\frac{1}{2}$.
11	10.	43.	1
10. $\frac{1}{2}$.	16.	19.	1. $\frac{1}{2}$.
10	22.	12.	2
9. $\frac{1}{2}$.	28.	29.	2. $\frac{1}{2}$.
9	35.	17.	3
8. $\frac{1}{2}$.	42.	40.	3. $\frac{1}{2}$.
8	50.	46.	4
7. $\frac{1}{2}$.	59.	38.	4. $\frac{1}{2}$.
7	69.	15.	5
6. $\frac{1}{2}$.	79.	28.	5. $\frac{1}{2}$.
6	90.	0	6

Cùm enim arcus horarum Antemeridianarum 11, 10, 9, 8, omnes ex gradibus 54. declinationis, dati plani subtrahi possint; earum tangentes, versus Horographi dexteram in lineam Horizontalem transferendæ sunt; quia verò arcus horarum 7, & 6, ex declinatione grad. 54. minimè subduci possunt; à singulis arcubus earum declinatio ipsa auferenda est; residuique tangentes à loco Styli A, ad sinistram Horographi collocandæ.

Pro tangentibus autem horarum Antemeridianarum, citra sextam fiat aggregatum ex arcuum complemento ad gradus 90. & quadrante grad. 90. & ab eo subtrahatur declinatio grad. 54. & differentiæ tangens erit quæsita. *Exemplum*. Arcus Horizontalis horæ quintæ Antemeridianæ, est gr. 69. m. 15. eius complementum ad gradus 90. est grad. 20. m. 45. Quibus additis quadranti grad. 90. colligitur summa grad. 110. m. 45. à qua subtracta declinatione grad. 54. relinquitur gra-

dus 56. m. 45. cuius tangens P. 15. 25. transferenda est in Horizontalem ab A, sinistrorsum pro hora quinta prædicta; & sic in reliquis.

Horarum tandem arcus singuli Pomeridianarum 1, 2, 3, &c. vt diximus, declinationis gradibus adduntur, & aggregati tangens transfertur ex A, dextrorsum, vltra lineam Meridianam M I.

16 In declinantibus verò in Occasum, eodem quidem modo hæ tangentes excerpendæ sunt; atqui puncta horaria in Horizontali per ipsas impressa, contrariam sortientur denominationem, & situm, iuxta communes regulas *num. 5. in principio huius capitis*.

17 *Tertius Modus, per tangentes numeratas à linea Styli in Æquinoctiali.*

PEr *numerum* 11. *huius praxis* inueniatur Quantitas anguli M N I, Inclinationis Meridianorum, quæ in præsenti exemplo ibidem inuenta est gr. 62. m. 48.

18 In horis singulis Pomeridianis 1, 2, 3, &c. gradibus inclinationis prædictæ (nunc 62. m. 48.) addantur semper gradus 15.

In Antemeridianis 11, 10, &c. inter Q, & R (*figura praxis 3. huius capitis*) compræhensis ab eodem inclinationis angulo, pro horis singulis semper gradus 15. subtrahantur, donec subtrahi possunt: at cum amplius id fieri nequit, numerus minor gradibus 15. subtrahatur ab ipsis gradibus 15. nam residuum horæ immediatè sequenti, citra lineam styli ad Horographi sinistram deseruiet; ac deinceps pro reliquis ad numerum ex postrema subtractione relictum, semper gradus 15. aggregato.

Tandem horum numerorum tangentes in partibus, non styli, sed radij Æquatoris, O Q, (vel M L, *in figura huius praxis*) in decem partes æquales diuisi, (vt de Stylo dictum est;) translatæ in lineam Æquinoctialem T R (*in figura posita in tertia praxi huius capitis*) hinc inde à sectione lineæ styli, Q, vel M, *in figura huius praxis*, iuxta respondentiam proprij numeri; puncta horaria quæsita indicabunt.

Praxis VI. Tropicos, & alios Zodiaci parallelos declinanti Horario Astronomico inscribere.

Methodus prima per communes sectiones, siue arcuum decussationes ope Verticum, & Vmbilicorum Hyperbolarum inuentas.

1 IN eadem figura fundamentali, *exempli causa, num. 1. praxis 3. huius capitis*, (*per num. 2. cap. 6. Episag. 3.*) producatur radius Æquatoris Q O, ex O, in *a*;

centro

centro O, describatur arcus *b c*, in quo vtrinque ab *a*, accipiatur maxima Solis declinatio grad. 23. m. 30. & per fines ducantur radij *b* & *c*, Cancri; & *c* & *d*, Capricorni, secantes substylarem. Erit *d*, Vertex hyperboles, quam Gnomonis vmbra Sol describit existens in primo gradu Capricorni: *e*, Vertex hyperboles oppositæ Cancri. Transuersa Diameter *d e*, quæ si bifariam secetur in *f*, dabit hoc punctum centrum hyperboles.

Cadant autem ex Verticibus *d*, *e*, cœcæ perpendiculares ad axem M N, in puncta *b*, *g*; & acceptum interuallum *f*, *b*, vel *f*, *g*, transferatur in substylarem ex *f*, vtrinque in *i*, & *k*; erunt hæc duo puncta Vmbilici, siue foci hyperbolarum, de quibus supra *propos. 3. c. 9. Episag. 3. & prax. 2. num. 7. c. 6. huius lib.*

His præmissis Axium hyperbolarum alterutra *e* N, producta diuidatur infra vmbilicum K, in partes quotcumque, æquales, aut inæquales, & reliqua peragantur, vt *in prima Methodo, prax. 4. cap. 6. huius libri. Vel propos. 3. modo citata.*

Methodus secunda per sectiones communes radiorum Zodiaci, & arcuum horariorum.

2 DVcatur Axis Mundi M O, cui applicetur triãgulus Gnomonicus M O Q, desumptus, *ex exemplicausa, ex figura fundamentali num. 1. prax. 3. huius cap.*

3 Producatur radius Æquinoctialis O Q, in B.

4 Centro O, describatur Arcus C B D, in quo hinc, & illinc ex B, numeretur Solis maxima declinatio grad. 23. m. 30. & per fines numerationis ducantur O C, radius Cancri, & O D, Capricorni. Et si libeat, etiam aliorum si-



gnorum,

gnorum, iuxta *Methodum secundam, prax. 4. cap. 6. huius libri*.

5 Posito vno Circini pede in S, figuræ horologij, altero accipiantur singula puncta horaria in Æquinoctiali notata; eaque transferantur in lineam Æquinoctialis radiarij O B, ex O, infra Q, versus B: imprimendo puncta, per quæ ex M, ducantur radij horarum cum proprijs numeris, velut in figura.

6 Tùm acceptæ distantiæ linearum horariarum ex puncto radiarij M, vsque ad parallelum describendum; transferantur in Horologium ex M, centro Horologij super lineas respondentium horarum; sicut *in prax. 4. cap. 6.* Neque enim Methodus ista pro declinantibus, ab ea differt, quæ ibidem tradita est pro Horizontalibus.

7 Satiùs tamen erit si ad alteram Horologij partem dumtaxat paralleli describantur, vltra, vel citra lineam substylarem, M N; ex qua scilicet horarum distantias Æquinoctiales in Radiarium transferendas accepimus; ac deinde, Graphidis charta plicata, circa substylarem, M N, acus foraminibus, aut alio quouis modo in altera designentur, eadem portionis Arcus paralleli distantia vtrinque à substylari seruata.

Methodus tertia, Arithmetica, Arcuum videlicet signorum delineandorum per Tangentes.

8 PRimùm ex M, vtrinque à linea substylari, siue Meridiana plani propria, in lineam Æquinoctialem, I G, (Schematismi superioris praxis) transferantur Tangentes graduum 15. 30. 45. 60. & 75. in partibus Radij, siue Diametri Æquatoris, L M, puncta in linea Æquinoctiali imprimendo; per quæ ex centro H, rectæ cœcæ horariæ ducantur, tanquam in plano Horizontali. Communis est enim regula apud Geographos: *Horologium* scilicet *quodcumque Verticale*, siue *rectum*, siue *declinans*, siue *inclinatum*, *alicubi esse Horizontale*; quod patet *ex num. 10. prax. 4. huius capitis*.

9 Deinde in lineis horarijs illis cœcis, per Tangentes in partibus styli perpendicularis, partium 1000. sumptas, reperientur puncta Arcuum signorum, & Arcuum diurnorum; scilicet à loco styli, A, in singulas lineas horarias cœcas, transferendo Tangentes complementorum dumtaxat altitudinum, sub eleuatione tamen Poli plano propria (non Regionis) vt in præsenti exemplo sub eleuat. grad. 24. m. 34. supputatarum; eadem prorsus ratione, qua de Horizontali dictum est supra *num. 13. prax. 4 cap. 6. huius libri*.

Praxis VII. Horologium Italicum, & Babylonicum in plano declinante construere.

1 DEscripto Astronomico horario cum suis Tropicis, per praxes præcedentes, dupliciter describetur Italicum, & Babylonicum, quorum vtrumque in alia commutari poterit, ex *num. 1. in principio capitis huius*.

2 *Primùm* per Arcus diurnos horarum 10. 12. 14 vel etiam 24. non secus,

ac

ac de Horologio Horizontali docuimus supra *cap. 6. prax. 5. à num. 9. & cap. 8. prax. 3. num. 2. & 3.*



3 *Secundo*, si notatis in linea Horizontali punctis horarum Astronomicarum, vnà cum semissibus, per ea puncta, & per horas respondentes in Æquinoctiali; horæ ab Ortu, vel Occasu describentur. Transibunt enim horæ ab Ortu, vel ab Occasu, per illas horas Astronomicas in Horizontali, quarum numerus dimidius est numeri horarum ab Ortu, vel ab Occasu. Velut hora vigesima prima ab Occasu transibit per horam Astronomicam decimam, & semissem; hora decima octaua per nonam Astronomicam, &c. sicut patet in apposito Diagrammate.

Praxis VIII. Horologium Antiquum Declinanti Astronomico inscribere.

EOdem modo efficies, ac de Horizontali dictum est supra *cap.6.prax.6. prima, & secunda Methodo*; & de Meridiano *cap.8. prax.4.*

Problemata, & Praxes Horologij ad Horizontem inclinati, & ad Meridianum recti. Cap. XII.

Praxis I. Quid sit Horologium inclinatum, & Vter è Polis supra illius planum eleuetur.

1 HOrologium *inclinatum* (*ex cap.2. num.15. huius libri*) est, quod in planis ad Horizontem inclinatis, & ad Meridianum rectis delineatur. Plana autem huiusmodi sunt ea omnia, quæ circulo maximo, transeunti per communes sectiones Æquatoris, Verticalis primarij, & Horizontis ad Meridianum recto æquidistat. Nam de inclinatis ad Horizontem, simulque à Meridiano declinantibus agetur in sequenti capite.

2 Duplex est, *Superius*, & *Inferius*. Superius respicit Zenith, Inferius Nadir; vtrumque in Meridiem, Boreamue directè vergit.

3 Omnia inclinata ad plagam Australem, & Nadir respicientia, Polo gaudent Antarctico; Arctico verò cum Zenith respiciunt.

4 Inclinatis autem ad Boream, si eorum, siue à Zenith, siue à Nadir distantia in circumferentia Meridiani, minor est complemento eleuationis Poli supra Horizontem; respicientibus Zenith, apparet Antarcticus; Arcticus verò respicientibus Nadir. Sin autem eorum distantia à Zenith, vel à Nadir maior est complemento eleuationis Poli supra Horizontem; tunc respicientibus Zenith eleuatur Arcticus, Antarcticus autem respicientibus Nadir. Si demum eorum distantia à Zenith, &c. æqualis est complemento eleuationis Poli supra Horizontem, neuter eis Polus apparet, quia tunc nullum cum Axe angulum efficiunt.

Praxis II. Dato Stylo in plano inclinato, angulum vtriusque inclinationis inuenire.

1 PLanum inclinatum secundùm *faciem inferiorem*, qua respicit Nadir, facit cum Horizonte angulum quidem acutum, (iuxta inclinationis *definitionem 6. lib. 11. Elem. Euclid.*) at secundùm *faciem superiorem*, qua Zenith spectat, semper angulum obtusum claudit. Quare satius videtur si inclinatio plani statueretur eiusdem recessus à perpendiculo Verticali, siue Axe Horizontis; quem recessum, siue inclinationem metitur Arcus cuiuslibet Verticalis, ad planum recti, numeratus à Zenith ad planum circuli maximi cui planum Conotomum, siue Horologij æquidistat. 14. *Def. cap. 3. huius.*

Angulum inclinationis in facie inferiori, ad Austrum inclinata, Geometricè, & Organicè indagare.

2 Sit planum, PL, secundũ inferiorem faciem inclinatum ad Horizontem Australẽ, HO, siue ad planũ Horizonti parallelum, LK; sitque in eo stylus, ET, fixus ad angulos rectos in E. Porrò applicetur eidẽ plano PL, perpendiculum, VN, ita, vt liberè demissum radat Gnomonis verticem, T; dico angulum, VTE, æqualem esse angulo inclinationis parietis, VLK; in præsenti exemplo grad. 60. m. 0. Angulum autem, TVE, esse angulum inclinationis, siue recessus plani eiusdem, PL, à Verticali perpendiculo VN, graduum 30.



3 *Vt demonstretur Geometricè;* per vniuersi centrum, T, ducatur ad angulos rectos perpendiculo Verticali VN, linea Horizontalis, HO; habebitur triangulus, VTD, rectangulus in T, à quo puncto ad Basin, VD, stylus cadit perpendicularis; fiuntque duo triangula, VET, TED, (*per* 8. 6.) similia toti, & inter se; habentiaque angulos singulos, singulis æquales, (*ex eiusdem lib.* 6. *Def.* 1.) Siquidem VET, TED, sunt recti; VTE, æqualis ipsi, TDE, & TVE, æqualis ETD, sed, TDE, est angulus inclinationis plani, PL, ad Horizontem, HO; æqualis interno, & opposito, VLK, ad easdem partes; iuxta *propositionem* 28. *lib.* 1. *Elem.* ergo, &c.

4 *Organicè* verò eundem angulum Inclinationis demonstrabit Inclinatorium, paratum *ex praxi 6. cap. 2. Epist. 2. lib. 1.* Si enim latus illius, A B, inferiori plani superficiei applicetur, perpendiculum, E G, statim dabit inclinationis angulum, H E F, quem metitur Arcus, H F; Vnde illius gradus erit Quantitas inclinationis quæsita; & complementum, H A, erunt gradus Reclinationis, siue recessus eiusdem plani à perpendiculo Verticali, V K.

Demonstratur. In triangulo enim, L E G, angulus L G E, est rectus, nempè æqualis, L E F; ergo ab eo subducto communi L E G, relinquetur (*per 32. 1.*) G E F, æqualis, E L G, Inclinationis plani ad Horizontem. Quod autem, L E G, seu A E H, sit æqualis angulo, E V T, Inclinationis Verticalis, patet *ex propos. 28. lib. 1.*

Eundem Angulum Inclinationis in facie superiori, itidem Geometricè, & Organicè indagare.

5 GEometricè ita. Sit planum, P L, Inclinatum ad Horizōtem, H O, siue ad Horizōtis parallelum, E M, secundùm superiorem faciem. Fixo orthogonaliter stylo, F T, in F, ex vertice, T, perpendiculum demittatur paulatim, donec eius cuspis inferior planum tangat in puncto, veluti, n, dico angulū, F T n, esse



men-

mensuram anguli, P L G, Inclinationis plani, P L, scilicet grad. 60. m. 0. quibus subductis à gradibus 180. relinquuntur grad. 120. pro Inclinationis angulo obtuso, P L M, angulum autem, F n T, grad. 30. metiri Inclinationem, siue angulum recessus eiusdem plani à Verticali perpendiculo, T n.

6 *Demonstratio* patet. Nam linea perpendiculi, T n, producta in G, constituit duo triangula, n F T, & n G L, similia (*per* 4.6.) Anguli enim T F n, & n G L, sunt recti; & duo ad Verticem (*per* 15. 1.) æquales; ergo & reliquus, n T F, reliquo, n L G, (*per* 32. 1.) æqualis erit. Cumque verò linea plani, P L, super E M, consistens angulos, P L G, P L M, duobus rectis æquales faciat (*ex* 13. 1.) subducto angulo, P L G, grad. 60. à duobus rectis 180. relinquetur angulus inclinationis, P L M, grad. 120.

7 *Organicè* autem superiori plani superficiei applicato Inclinatorij latere, C D, filum perpendiculi, T n, constituet Inclinationis angulum, F T n, quem metitur peripheria, F I, grad. 60. quibus subtractis ex gradibus 180. relinquentur grad. 120. numerus Inclinationis Horizontalis, P L M; complementum verò peripheriæ, I B, ostendet quantitatem anguli, I T B, æqualem, F n T, angulo Inclinationis Verticalis grad. 30.

Demonstratio patet ex dictis.

Praxis III. De Altitudine Poli supra planum Inclinatum. Et quæ singulis planis inclinatis Horologia conueniant.

1 ALtitudo Poli supra planum Inclinatum dupliciter haberi potest.

2 *Primùm*, ex data plani inclinatione per præcedentem praxim.

Si enim planum facit angulum acutum versus Austrum, secundùm faciem inferiorem; angulum eiusmodi Inclinationis vel est *æqualis* angulo altitudinis Æquatoris regionis, vel *minor*, vel *maior*.

Si *æqualis*, erit planum Æquinoctiale, in quo describenda erunt Horologia iuxta præcepta *cap.* 10. *huius libri*, vt etiam in facie superiori, qua Septentrionem aspicit. Et ratio est, quia hoc idem planum secundùm faciem superiorem, cum Horizonte facit angulum obtusum, à quo subtracto quadrante, grad. 90. relinquitur itidem altitudo Æquatoris.

Si *minor* adde inclinationi altitudinem Poli, & summa erit alia altitudo Poli, ad quam describes in plano Horologia Horizontalia, *ex cap.* 6. *huius lib.*

Si *maior* adde altitudinem Æquatoris complemento Inclinationis, & colliges altitudinem Poli, iuxta quam Horologia Horizontalia describes.

3 Si planum facit angulum acutum Septentrionem versus, est angulus iste, vel *æqualis* angulo altitudinis Poli Regionis, vel *minor*, vel *maior*.

Si *æqualis*, Planum erit Polare, & in eo describenda sunt Horologia, *per cap.* 8. *et* 9.

Si *minor*, subtrahe gradus Inclinationis ab eleuatione Poli, & residuum erit altitudo Poli, ad quam describes Horaria Horizontalia, in vtraque plani facie.

Si *maior*, subtrahe Altitudinem Poli ab Inclinatione plani, & differentia

dabitur Altitudinem Poli, ad quam in vtraque facie, Horizontalia delineabis.

Ex quibus apparet, Inclinationem in superiori plani facie, esse angulum recessus ab Axe Horizontis.

4 Secundus modus est Organicus, hoc est per Altipolarium, de quo supra *lib. 1. Episag. 2. cap. 2. prax.* 7. Perpendiculum enim Declinatorij eadem applicatione Instrumenti, inclinationem plani simul, & Altitudinem poli supra planum indicat, iuxta ciculum interioris ordinis numerorum.

Praxis IV. In plano inclinato inuenire 1, Lineam Meridianam; 2, Lineam, & Angulum inclinationis, & substylarem; 3, Verticalem; 4, Horizontalem; 5, Aequinoctialem; 6, Sectionis Hyperbolicæ, vel parabolicæ, vel Ellypticæ Vertices; 7, Sectionum Focos, siue Vmbilicos; 8, Parallelos; 9, Sectiones, & lineas Horarias.

Meridiana in his planis inclinatis non secus inuenitur, ac in planis Horizontalibus, &c. *per praxim primam, vel secundam, cap. 4. huius libri, & praxim 4. superioris capitis.* Debet enim transire per pedem Styli F, & per punctum Zenith Gnomonici V, in figura 58. & *n*, in figura 59. iuxta diuersitatem facies, Inferioris scilicet, vel Superioris plani.

2 In figuris superioris praxis per Mundi centrum T, Horizonti physico, seu reali E M, (figur. 59.) vel K L (figur. 58.) ducatur parallelus, Horizon Gnomonicus H O; & super ipsum (*per cap. 6. Epis. g. 5.*) construatur Analemma, ad Altitudinem Poli Regionis H B, (in præsenti exemplo grad. 45.) his positis.

Linea Inclinationis, & Substylaris, (*ex num. 21. & 22. cap. 3. huius libri*,) cum Meridiana coincidunt. Circulus inclinationis hic idem est, ac Meridianus V H N O; & Arcus inclinationis, arcus idem Meridiani inter planum inclinatum, & Horizontem interceptus.

3 *Verticalis* linea Meridianæ ad punctum Zenith Gnomonicum, V, in figura 58. vel *n*, in figura 59. perpendicularis cadit.

4 *Linea* Sectionis communis plani, & *Horizontis*, similiter perpendicularis est Meridianæ, transitque per punctum D, in facie plani inferiori, & R, in facie superiori; per quem transit Horizon H O.

5 *Linea Aequinoctialis* idem per communem sectionem plani dati, & plani Æquatoris Æ Q, Meridianæ ponitur ad angulos rectos.

6 Sectionum *Vertices* indicant sectiones communes radiorum parallelorum, & Meridianæ plani: Vertex R (in figura 59.) est Vertex hyperbolæ Cancri, & N, Capricorni.

7 *Foci*, siue *Vmbilici* ijsdem methodis, ac in reliquis planis inuestigantur. Vide *Capit. 9. Episag. 3. & 4. cap. 6. huius libri.*

8 *Parallelique*, quoque, *per praxim 4. capitis 6. huius libri* describentur.

9 *Horæ* tandem Astronomicæ, *per praxim 3.* Italicæ, & Babylonicæ, *per prax. 5.* Antiquæ, *per prax. 6. eiusdem capitis & huius libri*, delineabuntur.

Problemata, & Praxes Horologij Inclinati, simulque Declinantis. Caput XIII.

1 HOrologium *Inclinatum, simulque declinans*, est illud, quod planis describitur à Verticali primario declinantibus, & simul inclinatis ad Horizontem.

Duplex est, *Superius*, & *Inferius*. De quibus videatur *cap. 2. num. 13. huius libri.*

Praxis I. Datis Stylo, & Altitudine Poli Regionis; Exempli causa *grad. 25. Horologij Inclinati, simulque Declinantis ad Ortum, fundamentum contexere.*



Fig. 61.

1 SIt A B, Stylus, plano orthogonaliter fixus in A, è cuius vertice B, cadat perpendiculum B C, tangens planum in C.

2 Per locũ styli A, & per verticẽ Gnomonicum C, ducatur Verticalis A C.

3 Momento Meridiei (*ex prax. 2. cap. 4.*) notato puncto D, Vmbræ verticis Styli, per ipsum D, & per punctum C, ducatur C E, Meridiana loci.

4 Per A, ducatur F G, ad A C, normalis; in qua accipiatur A H, æqualis stylo A B; iungantur C H, & producta Verticali A C, ex A, in H, ducatur H K, perpendicularis ad C H, secans verticalem in puncto K, per quod delineanda est Horizontalis L M, ipsi F G, parallela; & angulus H C A, est angulus Inclinationis plani, respectu Verticalis, sive Axis Horizontis C H.

5 Stylo A B, abscindatur æqualis A N, in Verticali A C; iungantur que N, O.

6 Cen-

6 Centro C, interuallo C H, describatur segmentum circuli, versus P, & aliud centro O, ad interuallum O N, intersecans illud prius, iam designatum in P: & iungantur P, C; P, Q; ac etiam P, Q. Erit autem P Q, ad P C, perpendicularis, si non fuerit erratum. Tùm centro P, quouis interuallo P Q, describatur Arcus Q M; in quo numeretur ex Q, altitudo Poli Horizontalis (in præsenti exemplo grad. 25.) & per finem numerationis ex P, ducta P E, secabit loci Meridianam C E, in puncto E, quod erit centrum Horologij; & Q P E, angulus eleuationis Poli, supra Horizontem.

7 Ex E, centro Horologij, per styli pedem A, ducatur E A R, linea styli, siue Meridiana Plani propria; cui perpendicularis ex A, erigatur A S, stylo A B, æqualis. Et ab eodem centro E, per styli verticem S, emittatur Axis Mundi E S; necnon ab S, cadat Æquatoris radius S T, perpendicularis ad Axem E S; ac tandem per punctum T, ducatur Æquinoctialis V X, normalis ad E R, substylarem.

8 In Verticali I C, abscindatur K I, æqualis K H; vel centro Q, ad interuallum Q P, describatur arcus Circuli, secans Verticalem in I. Ex I, per Q, emittatur recta I Q. Erit Q I K, angulus declinationis plani. Et sic fundamentum Horologij Inclinati, simulque declinantis ad Ortum, absolutum. Quomodo autem texendum sit idem fundamentum pro Inclinatis, simulque Declinantibus ad Occasum, patet ex ijs, quæ diximus de Declinantibus, *cap.* 11. & de Inclinatis tantùm *cap.* 12.

Hoc vnum tamen speciale animaduertendum pro Meridiana plani propria. Si planum declinans à Meridiano, & ad Horizontem inclinatum, fuerit æquidistans Axi Mundi; quod est rectum esse ad Æquatorem, Meridiana plano propria, siue linea styli, ducenda erit quidem per A, locum styli, at parallela ipsi C E, Meridianæ loci.

Praxis II. In dato Plano Inclinato, ac Declinante; Astronomicum Horarium, Tropicos, & reliquas horas depingere.

1 EX fundamento præcedentis praxeos huc transferantur, Verticalis I C, cum suis sectionibus I, K, A, C; Meridiana loci E C; Meridiana plani propria E R, cum triangulo Gnomonico E S T, & Æquinoctialis V X.

2 Designetur Horizontalis L M, per K, normalis ad Verticalem I C.

3 In Meridiana plani E R, ex T, accipiatur T Z, æqualis radio Æquatoris S T.

4 Centro Z, describatur Circulus cuiuscumque magnitudinis. Per centrum Z, & per B, communem sectionem Meridianæ loci E C, & Æquinoctialis V X, ducatur F B; & ex D, communi sectione Horizontalis L M, Æquinoctialis V X, & horæ 6. per idem centrum Z, emittatur D G, quæ si rectè omnia se habent, circulum in quatuor quadrantes diuident.

Tùm singuli quadrantes in sex partes æquales diuidantur, cœpta numeratione in puncto H, sectionis peripheriæ, quam facit radius Z B.

Ex



Ex centro Z, per singulas sectiones ductæ rectæ secantes Æquinoctialem VX, dabunt puncta horaria, per quæ à centro E, ducantur lineæ horariæ Astronomicæ; & sic erit Horologium Astronomicum Inclinatum, simul, que Declinans, &c.

5 *Vel*, loco huius circuli adhibeantur arcus Horizontales, in peripheria, centro I, descripta; vt supra *cap.* 11. *prax.* 5. *num.* 12. Ductis enim IQ (ex I, per Q, communem sectionem Meridianæ loci EC, & Horizontalis LM;) & ID (ex I, per D, communem sectionem Horizontalis LM, & Æquinoctialis VX;) erit arcus *ab*, Circuli quadrans. In quo ex B, in A, numerandi sunt arcus Horizontales horarum Antemeridiem: vltra *b*, transferendi sunt ijdem arcus antecedentes respondentium horarum, pro horis à Meridie, & vltra *a*, pro horis à Media nocte.

6 Quoniam autem sæpè fit, vt punctum E, centrum Horologij, aut remotissimum sit, aut nullo modo haberi possit; huic difficultati hoc modo succurrendum est.

Per Zenith Gnomonicum C, & per communem sectionem Horizonta-

lis,

lis, Æquinoctialis, & horæ 6. D, ducatur Verticalis Primarij tangens NO. Centro C, interuallo CH, (sumpto ex fundamento præcedentis praxis) describatur arcus versus P; & alius centro D, interuallo DI, intersecans primum in P. Quo centro, ad quodcumque interuallum describatur arcus *fg*, iungantur P, D; P, C, lineis rectis, quæ si nullus fuerit error commissus, erunt ad inuicem perpendiculares, & per consequens arcus D *h*, circuli quadrans, diuidendus in grad. 90.

Qua diuisione facta notentur ex *h*, versus D, arcus Verticales, hoc est arcus eiusdem Tabulæ arcuum Horizontalium prædictæ, sumpti è regione Poli complementi altitudinis Poli Horizontalis. *Exempli causa*, si arcus Horizontales accepti fuerunt ad altitudinem Poli grad. 40. Verticales erunt è regione grad. 50. Præterea vltra *h*, & D, transferantur arcus præcedentes horarum respondentium, vt dictum est de arcubus Horizontalibus. Quod si Arcus eiusmodi supputati non habeantur in Tabula citata; supputari poterunt *per num. 13. prax. 3. cap. 6.*

Tùm ex P, per singulas diuisiones peripheriæ prædicti arcus ducantur rectæ cœcæ, secantes Verticalem NO. Sic enim horæ singulæ bina puncta habebunt, per quæ ducantur, absque beneficio centri E; Vnum in Horizontali LM, alterum in Verticali NO; ac etiam tertium si libeat in Æquinoctiali VX, ope circuli, centro Z, descripti *per num. 4.* Immo, & quartam si replicetur Æquinoctialis; iuxta methodum *num. 15. prax. 3. cap. 6. huius libri.*

7 Tropici tandem, horæ Italicæ, Babylonicæ, & Antiquæ eidem Astronomico inscribentur, per praxes aliorum planorum, præsertim *capitis* 11. *huius libri.*

Et hæc de Geometrica, & Arithmetica Horographia, dicta sint satis; ad *maiorem DEI, BEATÆQVE DEIPARÆ Virginis gloriam*; solatij gratia.

Plura operando scies Regulare Carmen, quam libros mille legendo.

Libri Secundi Horographici, & Prima Partis Biformis Gnomonicæ Finis.

BIFORMIS GNOMONICÆ SYNOPSEOS

PARS SECVNDA TABVLARIS, Theorico-Practica.

De Horologijs Solaribus describendis per Tabulas Gnomonicas, Duos Libros continens,

In quorum

PRIMO *traditur cùm Vniuersalis pluriformium Tabularum Gnomonicarum Methodus, omnium facillima, & expeditissima, ex Ratiocinio, & Analysi Triangulorum, per calculos vtriusque Trigonometriæ, Linearis scilicet, ac Logarithmicæ: Tùm Specialis Methodus omnium pulcherrima, Peripheriæ, & Regulæ D. Ioannis Paduanij Veronensis, Demonstratione, breuitate, & facilitate mirum in modum illustratur.*

IN SECVNDO *habentur Tabulæ ipsæ, iuxta Methodum Paduanij eiusdem, concinnatæ ad singulos gradus Declinationis Muralis, ad Ortum, & ad Occasum; sub latitudine Poli grad. 45. scilicet Almæ, & Imperantis Vrbis Venetiarum, & aliorum locorum quamplurium, in eodem circiter parallelo, per Europam, Asiam, & Americam, existentium.*

SYLLOGEO

AVGVSTINO A' PVTEO

I. V. D. AC MATESIPHILO.

VENETIIS, Typis Antonij Bosij, M.DC.LXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

M

meticam
rarijs de-
, & dele-
, tùm in
mentari;
ua potui,

breuitate, & claritudine prosequebar. Quæ quidem Methodus, quantum Geometriæ Theoreticæ cognitionis, & luminis afferat Speculanti, etiam in abditissimis Mathematum arcanis, quisque primoribus saltem labris, vt dicitur, gustare potuit. Cùm tamen practicè ob multiplicem linearum parallelarum, & perpendicularium descriptionem, arduam, operosam, & erroribus obnoxiam eandem experiantur omnes, cœteroquin etiam expertissimi: Mathematici quidam, Triangulorum ducti ratiocinio, aliam non immeritò iniere viam, per Tabulas videlicet Gnomonicas, constructas ex Azimuth, & Almucantarath, Solis nempè Circumferentijs, & Altitudinibus, in Vmbras conuersis, quas proinde horarum longitudines, & latitudines voluerunt appellari. Sed huic quoque Methodo, licet minùs, quàm cœteris discrimen foret errandi, nec suus defuit labor, in Tabulis supputandis; nec in earum vsu

morosa prolixitas. Quapropter vtrique incommodo D. Hyppolitus Salodius faciliori calculo, Normæque Adminiculo ingeniosè conatus est occurrere. Sed (vt omittam reliqua) de Plagis horarum, quænam scilicet hora cadat in Plagam Australem, aut Borealem, quæue in Orientalem, vel Occidentalem, non parua mentis vexatio adhuc remansit Horographo. Quæ tandem difficultas, nouia, & ingeniosissima D. Ioannis Paduanij Veronensis, Mathematici præstantissimi inuentione, qua Tabularum Gnomonicarum vsum, Peripheria in plano defixa, ad vnicam, simplicem, vniformem, & infallibilem Regulæ circumgyrandæ perstrinxit operationem, sublata fœliciter euanuit. Inuentio sanè ob facilitatem, simplicitatem, & certitudinem operandi, admirabilis! & cœteris vtcunque inuentis, omnium præferenda suffragijs! Attamen, nec ista tàm præclara, & facilis inuentio, Tabulis in efformandis quidquam leuat insudandi necessitatem; nec studiosus Theophili Bruni labor, siue compendij, siue facilitatis multum attulit; imò adhuc (quod sanè displicet) pulcherrimum demonstrationis lumen, cœcis supputationum nubibus penitùs inuolutum, omninò torpescit otiosum. Hunc igitur lapidem, duplici ex capite prægrauem, opere pretium fore putaui, si pro mei tenuitate ingenij, hac in Secunda Parte Synopseos Gnomonices mouere contenderem; vt nimirum adhibito Prosthaphæreseos, & Logarithmicæ Trigonometriæ calculo, Tabularum Gnomonicarum supputatio quam breuissima, & perquam facillima euaderet: singulisque Problematis, siue Praxibus, præ-

missio,

misso, & exposito Analemmate, obnubilatæ Demonstrationis aliqua species in lucem tandem erumperet; quî Mathematicarum studiosi vtramque Trigonometriam, Linearem scilicet, ac Logarithmicam, vtili delectatione exercerent, & delectabili vtilitate in Praxim redigerent. Quæ si aliquo modo assecutus fuero, SOLI TRIADI SACRATISSIMÆ laus esto, sin minus meæ computetur imbecillitati, faciliora tamen, si ei vacasset, adhuc moliturae.

Diuidetur autem Liber iste in duo Capita, quorum primum, Calculum omnibus Tabulis Gnomonicis communem, vniuersalissima Methodo, pro quolibet horarum genere, in toto terrarum Orbe, Lineariter, & Logarithmicè proponet, & explicabit: Secundum, Fabricam Tabularum Gnomonicarum, iuxta specialem Methodum D. Ioannis Paduanij, Compendiosissimo calculo, & summa facilitate demonstrabit.

INDEX CAPITVM, ET PRAXEVM

Primi Libri Secundæ Partis SYNOPSEOS GNOMONICÆ BIFORMIS.

Pra-

De

		Errores	Correctio
pag.	*lin.*		
9	13	Tomologarith.	Tomologarith. 2.
12	41	respondeat	respondent
30	5	ex Altitudine	ex Altitudinis
32		In Figura ibidem posita mutetur D, in C, & contra	
69	41	esse B,	S B
72	14	*gradibus* 360.	*graduum* 360.
88	15	Superficies, quæ	*dele*, quæ
	28	Vt in Meridionale	Vt si in Meridionale

GNO.

GNOMONICES BIFORMIS

SECVNDÆ PARTIS, TABVLARIS.

LIBER PRIMVS.

De Sciathericis omnibus, siue Horologijs Solaribus in Terrarum Orbe vniuerso delineandis per Tabulas Gnomonicas, Triangulorum ratiocinio, Lineariter, & Logarithmicè, ex Methodo in primis D. Ioannis Paduani Veronensis concinnatas.

De ijs, quæ vniuersè requiruntur ad Gnomonicas Tabulas supputandas. Caput Primum.

AD Gnomonicas Tabulas supputandas prærequiruntur, in primis Solis Declinatio; 2, Altitudo Poli; 3, Arcus diurni Parallelorum Solis; 4, Eiusdem Solis Altitudines; 5, Vmbræ; 6, Azimutha.

Praxis I. Declinationem Solis indagare.

1 PRæsupposita Analemmatis explicatione, quæ tradita est *in libro primo, cap. 6. Episag. 3. Prima Partis*; necnon eorum, quæ ad Circulorum Verticalium, Altitudinum, & Horariorum demonstrationem *lib. 1. eodem cap. 3. Episag 3.* exposita sunt; præsens Diagramma, satis clarum appraet. Nam

B L A, est Circulus horarius horæ 1, vel 11, Astronomicarum, vel etiam quiuis Circulus declinationis, vt accipitur in præsenti.

V L K, est quadrans Circuli Verticalis.

G I, Parallelus Tauri, & Virginis.

Æ P Q, est pars Eclipticæ Septentrionalis. Quibus positis.



2 Pro Solis declinationis indagine, talis adhibebitur Analogismus. Vt Radius; Ad sinum maximæ Solis declinationis grad. 23. m. 30. Ita Sinus distantiæ, puncti Eclipticæ dati à proximiori Æquinoctio; Ad Sinum declinationis quæsitæ.

Exemplum. Quæratur declinatio Solis existentis in *m*, Tauri principio, quod à proximiori Æquinoctio Æ, Arietis, distat gradibus 30. nempè arcus Æ M; Sic proportionabitur canon.

Vt Radius T Æ, 100000. Ad Solis declinationis maximæ Æ C, grad. 23. m. 30. Sinum 39875. Ita primi gradus Tauri *m*, distantiæ à proximo Æquinoctio Æ, grad. 30. Sinus 50000. Ad 19937. Sinum declinationis quæsitæ principij Tauri, quæ est Arcus L M, grad. 11. m. 30.

Vel per Logarithmos, more solito iungantur

Logarith. distantiæ à proximo Æquinoctio grad. 30.	969897
Et Logarith. maximæ Solis declinationis grad. 23. m. 30.	960070
Colligetur Logarith. declinationis quæsitæ grad. 11. m. 30.	929967

3 Traditur autem hæc regula exercitationis gratia, & pro illis, qui declinationes cupiunt ad singula scrupula; cœterum declinationes omnium Signorum Zodiaci, ad singulos gradus habentur *Primæ Partis lib. 2. cap. 6. prax. 1. in Tabula*; de cuius compositione videatur *Synopsis Astronomica lib. 1. tract. 4. sect. 1. Problem. 4.*

Praxis II. Altitudinem Poli exquirere ex Vmbris Meridianis.

1 IN Diagrammate apposito Q H A O P, sit Circulus Meridianus. H O, Horizon. P A, Planum quoduis Horizontale. P V, Planum Verticale. T, Centrum Mundi. Q, Corpus Solis. T E, Gnomon Verticalis; T F, Horizontalis.

2 Vmbra est duplex; *Recta*, & *Versa*.

Vmbra *Recta* est illa, quæ proijcitur in Planum Horizontalem, P A, à Gnomone T F, super illud perpendiculariter erecto. Cuiusmodi sunt F *d*, F *c*, F *b*.

Vm-

Vmbra *Versa* est illa, quæ proijcitur in planum Verticale PV, à Gnomone TE, Horizonti parallela. Veluti, Eg, Ef, Ee.

Vtraque est triplex, iuxta Solis triplicem Altitudinem; nempè centri Q, limbi supremi S, & limbi infimi I.



Fig.ª 66.

3 Gnomon vterque supponitur diuisus in partes quotcumque determinatas decem, aut centum, aut mille, vt YZ. Deinde Meridiei momento (*per prax. 1. aut 2. cap. 4. lib. 2. primæ Partis*,) accipiatur eiusdem Gnomonis vmbra, & obseruetur diligenter, quot partes contineat ex illis, quarum Gnomon est 10. aut 100. &c.

4 His peractis, si data longitudine Vmbræ Rectæ, *exempli causa*, F*d*, partium 32. quarum Gnomon FT, est partium 100. si quæratur Altitudo apparens supremi limbi Solis S; fiat.

Vt Gnomon FT, P. 100. Ad Vmbram Rectam F*d*, par. 32. Ita Radius FT, 100000. Ad Tangentem 32000. Anguli FT*d*, distantiæ à Vertice V, grad. 17. m. 44. cuius complementum ad grad. 90. est angulus T*d*F, Altitudinis apparentis supremi limbi Solis, S; nempè grad. 72. m. 16.

5 Si autem è conuerso data Altitudine apparente supremi limbi Solis, & quantitate Gnomonis, quæritur vmbra Recta, Fiat; Vt Radius FT, 100000. Ad Tangentem F*d*, anguli FT*d*, 32000. Ita Gnomon FT, 100. Ad Vmbram rectam F*d*, P. 32.

6 Si data quantitate Vmbræ Versæ, & Gnomonis inquiritur apparens Altitudo infimi Solis limbi I; Fiat, vt Gnomon TE; Ad Vmbram Eg. Ita Radius TE; Ad Eg, Tangentem anguli ETg, mensurantis apparentem Altitudinem limbi I.

Vel Logarithmo Vmbræ Versæ, adde Logarithmum secundum Gnomonis TE, & fiet Mesologarith. Anguli ETg.

7 Et è conuerso data Altitudine apparente limbi infimi Solis, & Gnomonis quantitate, inuestigatur Vmbra Versa, si fiat Vt Radius; Ad Gnomonem; Ita Anguli ETg, Tangens; Ad Vmbram Versam Eg. Vel Logarithmo Gnomonis adde Mesologarithmum Anguli ETg, & fiet Logarithmus Vmbræ Versæ.

8 Altitudo visa Solaris marginis, seu limbi conuertitur in Altitudinem visam centri Solis, si apparens Solis Semidiameter additur limbi infimi, vel subtrahitur limbi supremi Altitudini visæ.

9 Tùm adde Altitudini visæ centri Solis paralixim tali Altitudini con-

gruentem, & aggregato ex ijs, subtrahe suam Refractionem: supererit Altitudo Vera centri Solis.

10 Habita Centri Solis Altitudo Vera, ei detrahe Declinationem temporaneam Solis, idest eam, quæ Soli conuenit eodem Meridie, quo Vmbra obseruata fuit, si talis Declinatio est Borealis; adde si Australis, & habebis Altitudinem Æquatoris, cuius complementum erit Altitudo Poli quæsita.

Tabula Semidiametrorum apparentium Solis.	I	II	G.
0	15.	30	360
5		30	355
10		30	350
15		31	345
20		32	340
25		33	335
30		34	330
35	15.	35	325
40		36	320
45		37	315
50		38	310
55		39	305
60		40	300
65	15.	41	295
70		42	290
75		43	285
80		44	280
85		45	275
90		46	270
95	15.	47	265
100		48	260
105		49	255
110		50	250
115		51	245
120		52	240
125	15.	53	235
130		54	230
135		55	225
140		56	220
145		57	215
150		58	210
155	15.	58	205
160		59	200
165	16.	0	195
170		1	190
175		2	185
180		2	180
Anomalia			Anoma.

TABVLA Parallaxium Solis.

Parallaxis.

Altitudo.	Sol in Apogeo.		Sol in Media distantia.		Sol in Perigeo.	
Gr.	II	III	II	III	II	III
0	27.	28	28.	18	29.	8
5	25.	10	26.	10	27.	10
10	23.	20	24.	20	25.	20
15	21.	30	22.	30	23.	30
20	19.	40	20.	40	21.	30
25	17.	50	18.	50	19.	40
30	16.	0	17.	0	17.	50
35	14.	40	15.	30	16.	0
40	12.	30	13.	10	13.	30
45	11.	0	11.	20	11.	40
50	9.	30	9.	40	10.	0
55	7.	40	7.	50	8.	20
60	6.	0	6.	10	7.	0
65	5.	0	5.	10	6.	0
70	4.	0	4.	10	4.	30
75	3.	0	3.	8	3.	20
80	2.	0	2.	4	2.	10
85	1.	0	1.	2	1.	6
90	0.	0	0.	0	0.	0

I.	II	III.	IV	V.	VI
XI.	XII	IX.	X	VII.	IIX

Anomaliæ signa.

TABVLA Refractionum Solis.

Altitudo App.	Æstiua.		Æquinoctialis.		Hyberna.	
Gr.	I	II	I	II	I	II
0	30.	0	31.	0	32.	0
1	22.	0	23.	0	24.	0
2	16.	0	17.	0	18.	0
3	13.	0	14.	0	15.	0
4	11.	32	12.	31	13.	30
5	10.	32	11.	31	12.	30
6	9.	35	10.	31	11.	53
7	8.	59	9.	53	11.	12
8	7.	25	8.	17	9.	34
9	6.	43	7.	33	8.	48
10	6.	15	7.	3	8.	14
11	5.	48	6.	34	7.	44
12	5.	20	6.	4	7.	12
13	4.	53	5.	35	6.	41
14	4.	26	5.	6	6.	9
15	3.	58	4.	36	5.	36
16	3.	32	4.	7	5.	4
17	3.	7	3.	38	4.	32
18	2.	26	2.	54	3.	43
19	1.	47	2.	10	2.	55
20	1.	0	1.	40	2.	21
21	0.	33	1.	11	1.	49
22	0.	14	0.	42	1.	10
23	0.	6	0.	24	0.	52
24	0.	0	0.	5	0.	30
25	0.	0	0.	0	0.	10
26	0.	0	0.	0	0.	5

Ricciol. Astron. tom. 2. Tab. 37. 39. & 40.

Exemplum sit illud Bononiæ, quod affert P. Ricciolus *Geograph. lib. 7. cap. 5. num.* 16. his verbis. *Anno 1665. Iulij 23. D. Io: Dominicus Cassinus in Magno S. Petronij Gnomone obseruauit vmbram P. 45098. qualium Gnomon est 100000 Quare ipsa vmbra fuit tangens anguli graduum 24. m. 16. sec. 19. Idest distantia visæ limbi supremi Solis à Vertice: quare eius Altitudo visa fuit grad. 65. m. 43. sec. 41. Cui si demas Semidiametrum Solis apparentem m. 15. sec. 34. & addas parallaxim nostram sec. 5. Euadit Vera Altitudo centri Solis grad. 65. m. 28. sec. 12. Deme his declinationem nostram Boream quæ tunc fuit grad. 19. m. 58 sec. 18. Et restat Altitudo Poli grad. 44. m. 30. sec. 6. Seu potius (Tyronum gratia) restat grad. 45. m. 29. sec. 54 cuius proinde complementum grad. 44. m. 30. sec. 6. Est Altitudo Poli Bononiensis quasi ta.*

11 *Nota*. Si Vmbræ Meridianæ obseruatio facta sit Æquinoctij die; & Æquinoctium fiat in Meridie; Altitudo visa supremi limbi Solis, conuersa in Veram centri Solis, dabit veram Altitudinem Æquatoris; & subtracta gradibus 90. habebis Altitudinem Poli. At quot horis, & minutijs fiet Æquinoctium Vernum ante Meridiem, vel Autumnale post Meridiem, totidem minuta, & secunda deme Altitudini centri Solis; Contrà verò, quot horis, minutisque præcesserit Autumnale, aut successerit Vernum Æquinoctium, totidem minuta, & secunda adde Altitudini centri Solis, & habebis complementum Altitudinis Poli.

12 Si autem obseruatio Vmbræ Meridianæ sit habita die Solstitiali, Altitudinem supremi limbi Solis, reduc in centri Solis visam, ac tandem Veram, cui subtrahe declinationem Solis maximam, si Solstitium Æstiuum est; adde si Brumale; nam si fiat in ipso Meridie, habebis altitudinem Æquatoris, & hac dempta gradibus 90. Altitudinem Poli, quæ non discrepabit à Vera, plusquam 14. secundis, si Solstitium intra illum diem, quo fuit obseruata Vmbra factum fuerit. Quot autem binarijs horarum Meridiem antecesserit, vel successerit Brumale, totidem secunda adde Altitudini Poli, prius repertæ; vel subtrahe si Æstiuum successit, aut antecessit.

13 Aliter etiam inueniri potest Altitudo Poli, ex Altitudine Solis Meridiana, vt habetur *Primæ Partis lib. 2 cap. 6. prax. 1. & cap. 11. prax. 4.*

Praxis III. Datis eleuatione Poli, & cuiuslibet puncti Cælestis declinatione, indagare Differentiam Ascensionalem, Arcuum Semidiurnum, ac Semipoctiurnum; Et declinationem eiusdem.

1 *Fiat*, Vt Radius, Ad Tangentem eleuationis Poli; Ita Tangens Declinationis, Ad Sinum differentiæ Ascensionalis.

Exemplum. Quæratur differentia Ascensionalis principij Cancri, sub Eleuatione Poli grad. 45. *Fiet*, Vt Radius 100000. Ad 100000. Tangentem Altitudinis Poli grad. 45. Ita 43481. Tangens declinationis principij Cancri gr. 23. m. 30. Ad 43481. Sinum differentiæ Ascensionalis grad. 25. m. 46.

Tabula Arcuum Semidiurnorum pro Tropicis Cancri, & Capricorni, ad singulos gradus omnium eleuationum Poli. Qui eam cum minutis cupit, traditam supputandi Methodum adhibeat.

Altitudi. Poli.	Arcus Semidiurnus Capricorni.		Arcus Semidiurnus Cancri.		Altitudi. Poli.	Arcus Semidiurnus Capricorni.		Arcus Semidiurnus Cancri.	
Gr.	Gr.	M.	Gr.	M.	Gr.	Gr.	M.	Gr.	M.
0	90.	0	90.	0	34	72.	57	107.	3
1	89.	34	90.	26	35	72.	16	107.	44
2	89.	8	90.	52	36	71.	35	108.	25
3	88.	42	91.	18	37	70.	53	109.	7
4	88.	16	91.	44	38	70.	8	109.	52
5	87.	49	92.	11	39	69.	23	110.	37
6	87.	23	92.	37	40	68.	36	111.	24
7	86.	57	93.	3	41	67.	47	112.	13
8	86.	30	93.	30	42	66.	57	113.	3
9	86.	3	93.	57	43	66.	5	113.	55
10	85.	36	94.	24	44	65.	10	114.	50
11	85.	9	94.	51	45	64.	14	115.	46
12	84.	42	95.	18	46	63.	14	116.	46
13	84.	14	95.	46	47	62.	12	117.	48
14	83.	46	96.	14	48	61.	8	118.	52
15	83.	18	96.	41	49	60.	0	120.	0
16	82.	50	97.	10	50	58.	45	121.	15
17	82.	22	97.	38	51	57.	30	122.	30
18	81.	53	98.	7	52	56.	11	123.	49
19	81.	24	98.	36	53	54.	45	125.	15
20	80.	54	99.	6	54	53.	14	126.	46
21	80.	24	99.	36	55	51.	38	128.	22
22	79.	53	100.	7	56	49.	53	130.	7
23	79.	22	100.	38	57	47.	58	132.	2
24	78.	50	101.	10	58	45.	54	134.	6
25	78.	18	101.	42	59	43.	40	136.	20
26	77.	45	102.	15	60	41.	8	138.	52
27	77.	12	102.	48	61	38.	20	141.	40
28	76.	38	103.	22	62	35.	12	144.	48
29	76.	3	103.	57	63	31.	25	148.	35
30	75.	27	104.	33	64	26.	57	153.	3
31	74.	51	105.	9	65	21.	11	158.	49
32	74.	14	105.	46	66	12.	25	167.	35
33	73.	36	106.	24	67	22.	52		

Arietis, & Libræ Arcus Semidiurn. in omni Altitudine Poli est grad. 90.

Arietis, & Libræ Arcus Semidiurn. in omni Altitudine Poli est grad. 90.

Quantitas graduum, quibus Sol in regionibus vltra Circulum Arcticum, & Antarcticum in occiduus perpetuò lucet; pro quibus singulis dies vna circiter computari potest, vt gradus 40. sint quadraginta dies.

Gradus Polares.	Grad.	Min.
67	22.	52
68	40.	0
69	52.	0
70	61.	26
71	70.	26
72	78.	22
73	84.	56
74	92.	12
75	99.	0
76	105.	16
77	111.	20
78	117.	6
79	122.	46
80	128.	22
81	133.	50
82	139.	6
83	144.	22
84	149.	36
85	154.	42
86	159.	50
87	164.	52
88	169.	58
89	174.	58
90	180.	0

Vel Mesologarithmo Altitudine Poli grad.45. ——— 1000000
Adde Mesologarithmum declinat.datæ grad.23.m.30. ——— 963830
Colliges (*dempta vnitate in principio*) Logarith.grad.25. m.46. 963830

2 Tùm si declinatio dati puncti Cœlestis est Borealis, vt in præsenti, differentiam Ascensionalem adde gradibus 90. & si declinatio est Australis, subtrahe; nam summa, vel differentia erit arcus Semidiurnus quæsitus, eiusque residuum, seu complementum ad grad.180. erit Arcus Seminocturnus. Veluti in allato exemplo, differentia Ascensionali grad.25. m.46. addita gradibus 90. fiunt gradus 115. m.46. pro Arcu Semidiurno principij Cancri sub Altitudine Poli grad. 45. quo arcu subtracto gradibus 180. relinquitur arcus Seminocturnus grad. 64. m. 14. pro diurno principij Capricorni. Et sic in reliquis.

3 Declinatio cuiuslibet arcus, quotcumque horarum inuenietur, si fiat, Vt Sinus Totus, Ad Sinum differentiæ, inter arcum Semidiurnum datum, & quadrantem grad.90. Ita Tangens complementi Altitudinis Poli; Ad declinationem quæsitam. De quo videatur *num.13. prax.5. cap.6. lib.2. primæ part.*

Methodus inueniendi arcus perpetuæ lucis, & vmbræ; siue perpetuæ diei, ac noctis ad quamcumque propositam latitudinem Poli maiorem grad.66. m.30.

4 VBi Altitudo Poli maior est gradibus 66.m.30. Arcus diurnus circulum integrum grad.360. siue horas 24. excedit. Ita, vt sub altitudine Poli grad.90. sex menses perpetua dies eluceat; totidemque nox tenebris torpescat obscuris. Huiusce autem rei illud in causa est, quod signa Zodiaci sex ibidem supra Horizontem integra eleuentur, sexque infra depressa iaceant.

Quæritur itaque proposita latitudine Poli, *exempli causa* grad.75. quinam sint gradus, qui nunquam occidant, & qui nunquam oriantur.

Respondeo, illos omnes gradus Eclipticæ, qui declinationem habent maiorem complemento datæ altitudinis Poli, nimirum grad.15.

Quoniam autem in Tabella declinationum, quæ habetur *in primæ part. lib. 2. cap.6. prax.* 1. non est ad vnguem talis declinatio grad. 15. accipienda est proximè minor grad. 14. m. 51. cui in latere dextro respondet gradus decimus Tauri, & in sinistro gradus vigesimus Leonis; tanquam duo extrema arcus Zodiaci; in quo Sol existens diem efficit perpetuum; scilicet gradus viginti postremos Tauri, totum geminorum, & Cancri Signum, ac 20. priores gradus Leonis percurrens; qui omnes simul, gradus centum existunt, diemque trimestrem cum diebus decem circiter conficiunt: quo Sol hac in Regione nunquam occidit; sicut è contra in oppositis gradibus Signorum Scorpionis, Sagittarij, Capricorni, & Aquarij nunquam oritur.

Quod si calculo exactiori operari libeat, cum non inuenitur ad vnguem declinatio quæsita, vt in præsenti exemplo, accipienda erit pars proportio-

nalis, more solito Astronomico; ita, vt primus terminus regulæ aureæ sit differentia inter declinationem proximè minorem grad. 14. m. 51. & proximè maiorem grad. 15. m. 10. Secundus minuta 60. Tertius differentia inter declinationem proximè minorem grad. 14. m. 51. & declinationem quæsitam grad. 20. sic.

Vt prima differentia m. 19. Ad m. 60. Ita Secunda differentia m. 9. Ad m. 28. Cuius duplum minuta scilicet 56. subtrahe à summa grad. 100. & relinquetur spatium permanentiæ Solis supra datum Horizontem grad. 99. m. 4. siue rotundè, velut in apposita hìc Tabella grad. 99.

Praxis IV. Data Declinatione Solis, & Altitudine Æquatoris, Altitudinem Meridianam Solis quouis tempore inuenire.

1 ALtitudini Æquatoris (quæ semper est complementum Altitudinis Poli) declinationem Solis Borealem adde; Australem subtrahe, & habebis Altitudinem centri Solis Meridianam; veluti in exemplo sequentis praxeos.

Praxis V. Datâ vtraque Altitudine Meridiana (per præcedentem praxim) indagare Altitudinem Solis, in Circulo horæ sextæ Astronomicæ, constituti.

1 QVæratur, *exempli causa*, Altitudo Solis, dum grad. 90. abest à Meridiano in principio Cancri constitutus; sub Altitudine Poli grad. 45.

2 Primùm (*ex præcedenti praxi*) inquire Solis Altitudinem Meridianam in principio Cancri, & in opposito parallelo Capricorni; sic.

CALCVLI FORMA.	G.	M.	Sinus
Altitudini Æquatoris	45.	0	
Adde Solis declinationem in principio Cancri	23.	30	
Habes Altitudinem Solis Meridianam princip. Cancri	68.	30	93042
Subtrahe gr. eoidē 23. m. 30. Habes Alt. in princ. Capric.	21.	30	36650
3 Tum collige vtriusque Altitud. Sinum, fit Bissinus			129692
Cuius medietas vocatur Altitud. maior Generalis			64846
Hanc subtrahe Sinui Altit. Cancri, relinquitur Sinus Altitudinis Solis existentis in Circulo horæ sextæ Astronomicæ.	16.	23	28196

Idem Aliter.

4 FIat, Vt Radius 10000. Ad 70711. Sinum eleuatiōnis Poli grad. 45. Ita 39875. Sinus declinationis dati paralleli Cancri gr. 23. m. 30. Ad 28196.

Si-

Sinum Altitudinis Solis, existentis in Circulo horæ sextæ Astronomicæ gr. 16. m. 23. quæ etiam Altitudo minor Generalis appellatur.

Monitum pro Methodo præcedenti.

5 SI aggregatum ex Altitudine Æquatoris, & Solis declinatione superat grad. 90. accipiendus est aggregati eiusdem Sinus Complementi ad gradus 180. & reliqua peragenda, vt prius.

Praxis VI. Altitudinem Solis in Verticali Primario, constituti, indagare.

QVæratur prædicta Altitudo Solis existentis in principio Cancri, cuius declinatio est grad. 23. m. 30. sub Altitudine Poli grad. 45.

1 *Fiat*, Vt Sinus Altitudinis Poli; Ad Sinum declinationis Solis: Ita Radius ad Sinum Altitudinis Verticalis.

Vel Logarithmo declinationis Solis grad. 23. m. 30. ————	960070
Adde Tomologarithmum Altitudinis Poli grad. 45. ————	15051
Colliges Logarith. Altit. Solis in Vertical. primario grad. 34. m. 20.	975121

Praxis VII. Angulos horarios, siue distantias horarum Astronomicarum, seu à Meridie, & Media nocte: Ab Ortu, & ab Occasu: & horarum inæqualium assignare pro Horologijs Horizontalibus, & Verticalibus directis.

1 HIs suppositis, quæ diximus *lib. 1. Episagoge 3. cap. 3. primæ partis*, de horis, & circulis horarijs; Angulus horarius, est Angulus ille, quem circulus quilibis horarius facit cum Meridiano: eumque metitur Æquatoris arcus, inter Meridianum, & quemcumque circulum horarium interceptus. Vt in schemate *praxis primæ huius capitis*, in quo circulus B L A, est circulus horæ vndecimæ Matutinæ, aut primæ Vespertinæ Astronomicæ; & circulus V H N O, Meridianus; Angulus horarius, siue distantia horarum prædictarum, est Angulus L B Æ, quem metitur arcus Æquatoris Æ L, graduum 15. Ratio est, quia ex dictis loco modò citato, singuli horarum æqualium circuli (de quorum numero est etiam Meridianus) distant ab inuicem quindenos Æquatoris gradus.

Distantiæ, siue anguli horarum Astronomicarum.

2 HInc horarum Astronomicarum distantiæ habentur ducendo horas singulas Pomeridianas, 1. 2. 3. 4. &c. in 15. Æquidistant autem à Meridiano prima Pomeridiana, & vndecima Antemeridiana; secunda Pomeridiana, & decima Antemeridiana, &c. sicut etiam æquidistantes ab hora sexta eandem habent distantiam, vt patet in Tabella.

3 Obseruandum est autem nullam distantiam arcum Semidiurnum Cancri ad latitudinem Poli datam excedere. Deinde easdem Capricorno etiam deseruire. Et pro Æquinoctiali retinendas tantùm illas, quæ gradus 90. non superauerint. Ac tandem huiusmodi Astronomicarum horarum distantias, esse Vniuersales, & cuiuis Horizonti accommodatas.

Horæ ante Meridiem.	Horæ post Meridiem.	Distantia Solis à Meridiano.	
Horæ	Horæ	Gra.	Min.
12		0.	0
11	1	15.	0
10	2	30.	0
9	3	45.	0
8	4	60.	0
7	5	75.	0
6	6	90.	0
5	7	75.	0
4	8	60.	0

Distantia horarum ab Ortu, & ab Occasu.

4 ARcus Semidiurnus cuiuscumque dati paralleli Solis (*exempli causa* principij Cancri, sub altitudine Poli gr. 45. qui, *ex praxi 3. huius capitis*, patet esse grad. 115. m. 46.) semper est angulus, siue distantia horæ 24. Cui subtractis gradibus 15. relinquitur distantia horæ 23. grad. 100. m 46. & huic rursum gradibus 15. subductis, remanent grad. 85. m. 46. distantia horæ 22. Et sic deinceps, donec subtractio 15. graduum fieri non possit. Ac tùm vltima distantia inuenta grad. 10. m. 46. quæ est horæ 17. immediatè sequentis post Meridiem ex gradibus 15. dempta relinquet distantiam grad. 4. m. 14. pro hora 16. immediatè antecedenti Meridiem; cui fraddantur 15. gradus, habebitur distantia horæ 15. Et sic de cœteris, quousque aggregatum ex vltima distantia, & gradibus 15. non excedat arcum diurnum propositi paralleli Cancri (in præsenti exemplo) grad. 115. m. 46. Vt in Tabella.

Tabula distantiarum horariarum à Meridiano in principio Cancri, sub Altitudine Poli grad. 45.

Gra.	Mi.	Horæ ab Occasu.		Horæ Babylonicæ.	Horæ Capricorni respondentes horis in Cancro.
115.	46	Arc. diur.			12
15.		Minue.			
100.	46	23	Pomeridianæ	1	13
85.	46	22		2	14
70.	46	21		3	15
55.	46	20		4	16
40.	46	19		5	17
25.	46	18		6	18
10.	46	17		7	19
15.	0	Minue			
10.	46				
4.	14	16	Antemeridianæ	8	20
19.	14	15		9	21
34.	14	14		10	22
49.	14	13		11	23
64.	14	12		12	24
79.	14	11		13	23
94.	14	10		14	22
109.	14	9		15	21

5 Idem porrò sunt anguli, siue distantiæ, & Altitudines horarum ab Occasu, & ab Ortu, quæ in opposito parallelo simul numerum 24. conficiunt, & contrà. Ita hora 14. ab Occasu, in Cancro, & hora 10. ab Ortu, in Capricorno; necnon hora 10. ab Occasu in Capricorno, & hora 14. ab Ortu, in Cancro, eandem habent distantiam à Meridiano, & eandem Altitudinem super Horizonte.

6 Pro horis Æquinoctialis, distantia horæ 24. erit gradus 90. distantia horæ 23. grad. 75. hoc est semper gradibus 15. minùs, ad horam 18. vsque, cuius distantia est 0. atque istæ valent etiam pro Antemeridianis; vt patebit infra.

Distantiæ horarum inæqualium.

7 ARcum Semidiurnum dati paralleli, diuide per 6. vel Arcum diurnum per 12. & quotus erit distantia horæ 5. & 7. à Meridiano. Eadem duplata fiet distantia quartæ, & octauæ; & sic in cæteris.

Exemplum. Sole in principio Cancri constituto, Arcus Semidiurnus, est grad. 115. m. 46. quo in sex partes diuiso; vel Arcu integro gr. 231. m. 30. in 12. partes distributo, quotus grad. 19. m. 18. rotundè, erit distantia horæ 5. & 7. idem duplatus fit gradus 38. m. 36. distantias horarum 4. & 8. &c. vt hora 12. sit Arcus Semidiurnus integer.

Tabella distantiarum horarum Inæqualium à Meridie.

Horæ Antemeridia.	*Horæ Pomeridianæ.*	*Distantiæ Cancri.*		*Distantiæ Capricorni.*	
		Grad.	M.	Grad.	M.
	6	0.	0	0.	0
5	7	19.	18	10.	42
4	8	38.	36	21.	24
3	9	57.	54	32.	6
2	10	77.	12	42.	48
1	11	96.	29	53.	31
	12	115.	46	64.	14

Eodem modo etiam operabimur circa arcum Semidiurnum Capricorni. Et pro Æquinoctiali distinguentur horarum distantiæ, prout in Astronomicis.

Praxis VIII. Datis Solis Altitudine maiori generali, & eiusdem Altitudine in circulo horæ sextæ Astronomicæ ex quinta praxi; *ac distantia horaria à Meridiano,* per VII. praxin, *Altitudinem Solis supra Horizontem, quacumque hora data, exquirere.*

1 IN Diagrammate apposito (in quo omnia se habeant, *vt supra in prima praxi*) consideretur triangulus V B M, cuius nota sunt duo latera, V B, & M B, & angulus ab illis comprehensus, V B M.

2 Latus V B, semper est distantia Verticis à Polo, siue Altitudo Æquatoris, quæ perpetuò est complementum altitudinis Poli ad grad. 90.

6 Circa angulum sunt *duo casus*.
Est enim, vel acutus, vel obtusus. Si est acutus, in regula aurea accipitur Sinus, vel Logarithmus eius complementi; Si est obtusus, sumitur Sinus, vel Logarithmus excessus eiusdem supra quadrantem grad.90.

Solutio primi casus linearitèr, & logarithmicè.

7 Exemplum. Quæratur Altitudo Solis in Cancro horæ 2. vel 10. sub Altitudinem Poli grad.66. m.30. Triangulus V B M, ita se habet.
Crus *maius*, M B, vt in reliquis omnibus est grad.65. m.30. nempè complementum declinationis Solis existentis in principio Cancri.
Crus *minus* V B, est grad. 23. m. 30. complementum scilicet Altitudinis Poli, quod semper est altitudo Æquatoris, & distantia Poli à Vertice.
Angulus V B M, horæ 2. vel 10. Astronomicæ est grad.30. vt patet *supra in Tabula praxis 7. num.2.*
8 His datis complementum basis V M, nempè M K, quod semper est Altitudo Solis quæsita, sic inuenies.
1 Accipe duplum Cruris minoris dati gr. 47. vel Crus minus iungatur complemento Maioris, & fiet similiter grad. 47.
2 Huius dupli accipiatur Sinus, qui erit *Inuentum primum* ——— 73135
Altitudo Solis Meridiana Borealis.
3 Huius Sinus Semissis, sit *Inuentum secundum* ——— 36568
4 Horum Sinuum Differentia sit *Inuentum tertium* ——— 36567
Altitudo horæ sextæ Astronomicæ.
5 Complementum anguli dist.hor.grad.30. Sin. *Inuentum quartum.* 86602
6 Tum *fiat*, Vt Radius 100000. Ad *Inuentum secundum* 36568. Ita *Inuentum quartum* 86602. *ad quintum* 31678. cui adde *Inuentum tertium* 36568. colliges *Inuentum sextum & vltimum* 68246. cui respondeat grad.43.m 2. Altitudo Solis quæsita.

Sin

Sin autem subtrahes idem *Inuentum quintum* ab eodem *Inuento tertio*, colliges aliud *Inuentum* 4890. cui respondent grad. 2. m. 48. pro Solis depressione infra Horizontem in principio Capricorni, eadem hora data.

Logarithmicè.

9 LOgarithmo Inuenti secundi generali ——— 656311
Iungatur Logarithmus secundus angul. horarum grad. 30. ——— 963753
Colliges Logarithmum ——— 950064
Cui respondet Sinus, qui est *Inuentum quintum* ——— 31675
Addendus, & subtrahendus *Inuento tertio*, vt priùs ——— 36568
Colligitur Sinus grad. 43. m. 2. pro Altitudine Solis horæ datæ ——— 68243
Relinquitur grad. 2. m. 48. Altitud. respondentis horæ ——— 4893

Notanda circa angulum acutum, vel obtusum.

10 QVando angulus horarius datus existit acutus, vt in allato exemplo, *Inuentum quintum* addendum est *tertio*, & aggregatum erit Sinus Altitudinis Solis quæsitæ; Differentia verò illorum, erit Sinus Altitudinis Solis respondentis horæ in opposito parallelo.

11 Quando angulus est obtusus, idest quadrante maior, conferes idem *Inuentum quintum* cum *Inuento tertio*. Et si *Inuentum quintum* fuerit maius *Inuento tertio*, eorum differentia erit Sinus Altitudinis Solis respondentis horæ in opposito parallelo; aggregatum verò, Sinus Altitudinis horæ quæsitæ. Sin minus *Inuento tertio*, differentia illorum dabit Sinum Altitudinis quæsitæ; & aggregatum erit Sinus Altitudinis horæ respondentis in opposito parallelo.

12 *Exemplum*. Quæratur Altitudo Solis existentis in principio Cancri hora 7. à Media nocte, & 5. à Meridie, cuius angulus horarius, siue distantia à Meridiano est grad. 105.

Logarithmo Generali, *Inuenti secundi* ——— 956311
Iungatur Logarithmus excessus singuli grad. 15. ——— 941300
Colligitur Logarithmus ——— 897611

Huius Sinus 9469. quod est *Inuentum quintum*, minus *Inuento tertio* 36568. ei subtrahatur, relinquitur Sinus 27099. cui respondent grad. 15. m. 43. Altitudo Solis quæsita; eidem additus, tribuit Sinum 46037. cui respondent gradus 27. m. 25. Altitudo Solis horæ respondentis in opposito parallelo.

Secundi casus præceptio. Quando scilicet latera trianguli VBM, coniunctim sunt quadrante minora.

1 COmplementum Cruris maioris, hoc est declinatio Solis maxima grad. 23. m. 30. adde Cruri minori, quod semper est complementum Alti-

tudinis Poli, seu (quod in idem recidit) Altitudo Æquatoris, aut distantia Poli à Vertice, & aggregati Sinus erit *Inuentum primum*, seu Altitudo Solis Meridiana.

2 Crus minus auferatur à complemento maioris (hic enim semper Crus minus cedit complemento maioris) quare residui istius sinus, auferendus ab *Inuento primo*, atque huius residui semissis erit *Inuentum secundum*.

3 Hoc *Inuentum secundum* subtrahe ab *Inuento primo*, & reliquus dabit *Inuentum tertium*.

4 Sinus Complementi Anguli dati, quando datur acutus: vel excessus eiusdem supra circuli quadrantem, si detur obtusus, dabit *Inuentum quartum*.

5 Tùm, *fiat*, Vt Radius, Ad *Inuentum secundum*; Ita *Inuentum quartum*, ad *Inuentum quintum*.

6 Si datus angulus existit acutus, tunc aggregatum *Inuenti quinti*, atque *Inuenti tertij*, erit sinus Altitudinis Solis quæsitæ.

Sin autem angulus datus existit obtusus, tunc Sinus altitudinis Solis erit differentia *Inuenti tertij, & quinti*, si quando *Inuentum quintum* cedat, fueritque minus *Inuento tertio*: contrà, si præstet, fueritque *Inuentum quintum* maius *Inuento tertio*; tunc enim eorum differentia dabit sinum altitudinis Solis quæsitæ.

Exemplum, per Sinus.

14 QVæratur altitudo Solis existentis in principio Cancri hora 3. vel 9. Astronomica sub altitudine Poli grad. 72. in quo quidem exemplo Crus maius est complementum declinationis Solis maximæ M B: Crus minus distantia Poli a Vertice V B, seu altitudo Æquatoris Æ H, grad. 18. Vnde calculus tùm generalis, tùm specialis pro altitudine Solis horæ datæ 3. vel 9. ita disponitur.

CALCVLVS.	G.	M.	Sinus
Declinatio Solis maxima M B.	23.	30	
Altitudo Æquatoris Æ H.	18.	0	
Aggregatum, cuius Sinus est *Inuent. I.*	41.	30	66262
Differentia, cuius sin. auferend. ab *Inuent. I.*	5.	30	9585
Sinuum differentia.			56677
Huius differentiæ semissis. *Inuent. II.*			28339
Hoc *Inuent. II.* sublato à *I.* relinquitur *III.* Alt. hor. 6.	22.	17	37923

quod *Inuentum tertium* semper est Sinus altitudinis horæ sextæ Astronomicæ. Anguli horæ 3. vel 9. Astronomicæ complementum est grad. 45. eiusque Sinus est *Inuentum IV.* grad. 45. m. 0. —— 70711

Fiat igitur, Vt Radius 100000. Ad *Inuentum secundum*, 28339. Ita *Inuen-*

tum

tum quartum, 70711. Ad *Inuentum quintum*. — 20038
Cui *Inuento quinto*, adde *Inuentum tertium*. — 37923
Colliges ſinum altitudinis quæſitæ grad. 35. m. 25. — 57961

Idem exemplum Logarithmice.

15 LOgarithmo *Inuenti ſecundi* generali — 945249
Iungatur Logarith. 2. anguli horarij grad. 45. — 984948
Colligitur Logarithmus — 930197

Huic Logarithmo reſpondet Sinus — 20051
Aggregandus *Inuento tertio* — 37923
Et colligitur Sinus grad. 35. m. 25. Altitudinis quæſitæ, vt prius. — 57974

16 *Præceptio tertij caſus, datis ſcilicet duobus Cruribus, coniunctim quadrante maioribus.*

1 COmplementum Cruris *maioris* addatur *minori*, & aggregati Sinus erit *Inuentum primum*.
2 Idem Complementum, (quod ſemper hic minus) auferatur *minori* cruri, reſiduique Sinus ad *Inuentum primum* addatur; & aggregati ſemiſſis dabit *Inuentum ſecundum*.
3 *Inuentum ſecundum* ſublatum ab *Inuento primo*; *Tertium* relinquet.
4 Cœtera eodem plane modo acquires, ac in antecedenti caſu.

Exemplum, per Sinus.

17 QVæratur altitudo Solis exiſtentis in principio Cancri hora 4. vel 8. Aſtronomica, ſub altitudine Poli grad. 47.
Latus MB, *maius* eſt ſimiliter grad. 66. m. 30.
Latus *minus* VB, diſtantia Poli à Vertice eſt grad. 43.
Angulus horarius horæ 4. vel 8. eſt grad. 60.

CALCVLVS.	l	G.	M.	l	Sinus
Altitudo Æquatoris, ſeu diſtantiæ Poli a Vertice	l	43.	0	l	
Declinatio Solis maxima	l	23.	30	l	
Aggregatum, cuius Sinus eſt *Inuentum I.*	l	66.	30	l	91706
Differentia	l	19.	30	l	33381
Sinuum aggregatum	l			l	125087
Huius aggregati ſemiſſis *Inuentum II.*	l			l	62543
Hoc ſubtracto ab *Inuento I.* remanet *III.*	l			l	29163
Complementum ang. horar. 4. vel 8. grad. 60. Sinus IV.	l	30.	0	l	50000

Tum

Tùm *fiat*, Vt Radius 100000. Ad *Inuentum secundum* —— 62543
Ita *Inuentum quartum* 50000. Ad *Inuentum quintum* —— 31271
Cui adde *Inuentum tertium* —— 29163
Colliges Sinum altitudinis quæsitæ grad. 37. m. 11. —— 60434

Idem exemplum, Logarithmicè.

18 LOgarithmo *Inuenti secundi*, generali —— 979621
Iungatur Logarithmus secundus anguli horarij grad. 60. —— 969897
Colligitur Logarithmus —— 949518
Cui respondet Sinus —— 31261
Addendus *Inuento tertio* —— 29163
Et colligitur vt prius Sinus grad. 37. m. 11. —— 60424
Aliter etiam altitudines Solis calculo exarare docuimus supra *primæ partis lib. 2. cap. 11. prax. 6. num. 13.*

19 *Methodus indagandæ Altitudinis Solis existentis in Æquatore.*

SVperior Methodus est quidem necessaria in supputandis altitudinibus Solis existentis in quouis parallelo extra Æquatorem; at si in Æquatore Sol diuersetur, eius altitudo hac simplici manifestabitur Analogia.

Vt Radius, Ad Sinum altitudinis Æquatoris; Ita Sinus complementi anguli horarij, ad sinum altitudinis quæsitæ.

Exemplum.

20 QVæratur altitudo Solis in Æquatore existentis hora 4. vel 8. Astronomica sub altitudine Poli grad. 45.

Fiet, Vt Radius 100000. Ad altitudinis Æquatoris grad. 45. Sinum 70711. Ita complementi anguli horarij grad 60. m. 0. Sinus 50000. ad 35355. Sinum grad. 20. m. 42. altitudinem Solis quæsitam.

Vel Logarithmicè.

Logarithmo altitudinis Æquatoris grad. 45. —— 984948
Addatur Logarithmus secundus anguli horarij grad. 60. —— 969897
Colligitur Logarithmus altitudinis Solis grad. 20. m. 42. —— 954845

Exemplum generale.

21 PRoponantur inuestigandæ omnium horarum altitudines in vtroque parallelo Tropicorum Cancri, & Capricorni, & in Æquatore pro constructione Horologij Horizontalis sub altitudine Poli grad. 45.

Calculus Altitudinum Cancri, & Capricorni.

22 IN hoc exemplo latus maius trianguli M B V, est M B, complementum scilicet maximæ declinationis Solis existentis in principio Cancri grad. 66. m.30. Crus *minus* V B, distantia Poli B, à Vertice V (quæ semper est æqualis altitudini Æquatoris H Æ,) est grad. 45. ac proinde ambo simul iuncta, quadrante sunt maiora, nempe grad. 111. m.30. ideò procedendum est in calculo propositarum altitudinum, per tertium casum, sic.

CALCVLI FORMA.	I G.	M.	I Sinus
Crus *minus*, idest Altitud. Æquatoris	45.	0	
Complementum Cruris *maioris*	23.	30	
Aggregatum, cuius Sinus est *Inuentum I.*	68.	30	93042
Differentia	21.	30	36650
Sinuum aggregatum			129692
Huius aggregati semissis, *Inuentum II.*			64846
Idem ab *Inuento I.* sublatum, *Inuentum III.*			28196

23 *Nota primò*. Iste calculus est generalis. Nam *Inuentum secundum*, & *tertium*, communia sunt omnibus altitudinibus Solis in datis parallelis supputandis; vt mox videbitur.

24 *Nota secundò*. Quantitas angulorum distantiarum horariarum habetur *ex praxi 7 huius libri*. Vt in præsenti pro horis Italicis in tropicis, quarum altitudines quærimus, habentur in Tabula ibidem posita *num.4.*

25 *Nota tertiò*. Distantiæ, siue anguli horarum Cancri, deseruiunt etiam horis Capricorni, iuxta ordinem respondentiæ earum in quinta columna eiusdem Tabellæ. Distantia enim horæ 23. Cancri, eadem est, ac distantia 13. Capricorni; Distantia horæ 22. Cancri eadem, ac distantia horæ 14. Capricorni, &c. ex quo fit, vt eadem supputatione altitudinum Solis in Cancro, habeantur simul Altitudines paralleli oppositi Capricorni. Qua de re.

26 *Nota quartò*. Si angulus horarius est quadrante *maior*, & pro calculo *Inuenti quinti* acceptus fuit Sinus, aut Logarithmus excessus, (*iuxta præcepta num. 11. huius praxis*;) *Inuentum quintum* subtrahe *Inuento tertio*, & habebis Sinum altitudinis Cancri; adde, & conflabitur Sinus altitudinis respondentis horæ in opposito parallelo Capricorni. Si verò angulus horarius fuit quadrante *minor*, contra *tertio quintum* addas *Inuentum* pro altitudinibus Cancri; ac subtrahas, pro Capricorno.

Immo eadem altitudo Capricorni, est etiam altitudo alterius horæ Cancri eiusdem, dummodo arcum diurnum illius non excedat. *Exempli causa*, Altitudo, quæ pro Capricorno inuenta est cum altitudine horæ 23. Cancri, est etiam altitudo horæ 11. eiusdem Cancri; & sic Altitudo, quæ inuenta

fuit cum hora 22. est horæ 10. quæ cum hora 21. horæ 9. quæ cum hora 20. horæ 8. &c. vt patet in sequenti calculo horæ 23. 22. 21.

27 *Nota quinto*. Illas tantum altitudines horis delineandis conducere, quarum distantia semidiurnum arcum non excedunt; velut in horis Cancri, huius exempli, grad. 115. m. 46. & in horis Capricorni grad. 64. m. 14.

28 Quibus prænotatis accipe *Inuenti secundi* Logarithmum 981180. qui communis erit omnibus horis propositi paralleli. Huic, vt nimis prolixam multiplicationem Sinuum euites, adde Logarithmum secundum (hoc est complementi) anguli, siue distantiæ horariæ singularum horarum; & collecti Logarithmi Sinus, erit *Inuentum quintum*, addendum, vel subtrahendum *Inuento tertio*; vt sequitur.

Omnium Altitudinum Cancri, & Capricorni singularum horarum calculi paradigmata.

Horæ	Distantiæ Grad.	M.	Logarithmi		Sinus		Altitudin. Grad. M.
23, & 11 ♋; ac 13 ♑	100.	46	Logarit. excess.	927140			
			Log. Inu. 2. cõis.	*981180			
			Log. Inuent. 5.	908320 Sinus	*28196 12129	Subtrahe	Inuent. 3. Inuent. 5.
			Differen. Sin. alti. quę. h. 23. ♋		16067		9. 15
			Sũma Sin. alt. h. 11. ♋, & 13. ♑		40325		23. 47
22, & 10 ♋; ac 14 ♑	85.	46	Logarith. secundus	886816			
				*981180			
				867996	*28196 4798	Collige	
			Summa Sin. Altitud. hor. 22. ♋		32994		19. 16
			Differ. Sin. alt. h. 10. ♋, & 14. ♑		23398		13. 32
21, & 9 ♋; ac 15 ♑	70.	46	Logarith. secundus	951774			
				*981180			
				932954	*28196 21360		
			Summa Sin. Altitud. hor. 21. ♋		49556		29. 42
			Differ. Sin. alt. h. 9. ♋, & 15. ♑		6836		3. 55.

Horæ

Horæ	Distantiæ Grad. M.	Logarithmi	Sinus	Altitudin Grad. M.
20	55. 46	Logarith. secundus 975017 *981180		
		956197	28195* 36460	
		Summa Sin. Altitud. hor. 20. ☵	64656	40. 18
		Differ. Sin. Altitud. hor. 16. ☽	8264	4. 45
19	40. 46	Logarith. secundus 987931 *981180		
		969111	28196* 49116	
		Summa Sin. Altitud. hor. 19. ☵	77312	50. 38
		Differ. Sin. Altitud. hor. 17. ☽	20920	12. 4
18	25. 46	Logarith. secundus 995451 *981180		
		976631	28196* 58378	
		Summa, Sin. Altitud. hor. 18. ☵	86574	59. 58
		Differ. Sin. Altitud. hor. 18. ☽	30182	17. 34
17	10. 46	Logarith. secundus 999229 *981180		
		980409	28196 63697	
		Summa, Sin. Altitud. hor. 17. ☵	91893	66. 46
		Differ. Sin. Altitud. hor. 19. ☽	35501	20. 48
16	4. 14	Logarith. secundus 998881 *981180		
		981061	28196* 64657	
		Summa, Sin. Altitud. hor. 16. ♋	92853	68. 14
		Differ. Sin. Altitud. hor. 20. ☽	36461	21. 23

Horæ	Distantiæ Grad. M.	Logarithmi		Sinus	Altitudin. Grad. M.
15	19. 14	Logarith. secundus	997506		
			*981180		
				*28196	
			978686	61222	
		Summa, Sin. Altitud. hor. 15. ☵		89418	63. 25
		Differ. Sin. Altitud. hor. 21. ☽		33026	19. 37
14	34. 14	Logarith. secundus	991738		
			*981180		
				*28196	
			972918	53607	
		Summa, Sin. Altitud. hor. 14. ☵		81803	54. 54
		Differ. Sin. Altitud. hor. 22. ☽		25411	14. 44
13	49. 14	Logarith. secundus	981490		
			*981180		
				*28196	
			962670	42341	
		Summa, Sin. Altitud. hor. 13. ☵		70537	44. 52
		Differ. Sin. Altitud. hor. 23. ☽		14145	8. 8
12	64. 14	Logarith. secundus	963820		
			*981180		
				*28196	
			945000	28178	
		Summa, Sin. Altitud. hor. 12. ☵		56374	34. 20
		Differ. Sin. Altitud. hor. 24. ☽		18	0. 0

De reliquis parallelis.

29 HAc eadem Methodo supputantur altitudines aliorum parallelorum Zodiaci; & vnico quidem calculo quatuor signorum altitudines. Eadem est enim altitudo eiusdem horæ Geminorum, & Leonis, & in opposito parallelo altitudo initij Sagittarij, & Aquarij. Itidem eadem altitudo est initij Tauri, & Virginis, ac in opposito parallelo, Scorpionis, & Piscium.

Exemplum paralleli Geminorum. In quo vnica operatione, singularum horarum altitudines in initijs Geminorum, & Leonis, Sagittarij, & Aquarij exantlantur.

30 SVpponendum est autem *Primum* propositi Geminorum paralleli declinationem *ex prim.part. lib.2.cap.6.prax.1.* esse grad.20.m.13.

31 *Secundo;* Arcum diurnum eiusdem paralleli (*ex praxi 3. huius capitis*) esse grad.111.m.36. Quibus si gradus 15. subtrahas, relinquetur angulus, siue distantia horaria horæ 23. gradus 96. m. 36. & sic deinceps pro reliquis horis, per quindenorum graduum subtractionem, cœteras distantias horarias acquires; iuxta *praxim 7. num.4. huius capitis*.

32 *Tertio;* latus maius trianguli horarij in hoc exemplo erit grad.69. m.47. complementum scilicet declinationis dati paralleli Geminorum grad. 20. m.13. Latus minus remanet idem, ac in Tropicis, videlicet grad.45. Ac proinde *Inuentum secundum, & tertium*, per tertium casum *num.16. huius praxis* inuenientur; sicut in Tropicis; sic

	CALCVLVS.	I G. M. I	Sinus
33	Altitudo Æquinoctialis Declinatio paralleli Geminorum	I 45. 0 I 20. 13	
	Summa; Altitud.Merid. ☉ in ♈, & ♎. *Inuentum I.*	I 65. 13 I	90790
	Differentia; Altitud. Merid. ☉ in ♑, & ♋	I 24. 47 I	41919
	Sinuum aggregatum Aggregati semissis *Inuentum II.*	I I	132709 66354
	Idem sublatum à *I. Inuentum III.*	I	I 24436

Exem-

Sequuntur speciales calculi omnium horarum in

Horæ	Distantiæ Grad. M.	Logarithmi secundi		Sinus	Altitud. Gr. M.
23	96. 36	Logarithmus excessus	906046		
		Logarith. Inuenti secundi generalis	*982184	*24436	
		Logarithmus Inuenti quinti	888230	7614	
		Differentia, Sin. Altitudinis horæ 23. ♊, & ♌		16822	9. 41
		Summa, Sin. Alt. h. 11. ♊, & ♌, & h. 13. ♐, & ♒		32050	18. 41
22	81. 36		916460		
			*982184	*24436	
			898644	9700	
		Summa, Sinus Altitudinis horæ 22. ♊, & ♌		34136	19. 57
		Differ. Sin. Altit. h. 10. ♊, & ♌, & h. 14. ♐, & ♒		14736	8. 28
21	66. 36		959895		
			*982184	*24436	
			942079	26331	
		Summa, Sin. Altitudinis horæ 21. ♊, & ♌		50767	30. 31
		Differen. Sin. Altit. h. 9. ♊, & ♌, & h. 15. ♐, & ♒		1895	1. 5
20	51. 36		979319		
			*982184	*24436	
			961503	41234	
		Summa, Sin. Altitudinis horæ 20. ♊, & ♌		65667	41. 2
		Differentia, Sin. Altitudinis horæ 16. ♐, & ♒		16795	9. 40
19	36. 36		990462		
			*982184	*24436	
			972646	53263	
		Summa, Sinus Altitudinis horæ 19. ♊, & ♌		77699	50. 59
		Differentia, Sinus Altitudinis hor. 17. ♐, & ♒		28827	16. 45
18	21. 36		996838		
			*982184	*24436	
			979022	61681	
		Summa, Sinus Altitudinis horæ 18. ♊, & ♌		86117.	59. 27
		Differentia, Sinus Altitudinis horæ 18. ♐, & ♒		37245	21. 52

Initio Geminorum, & Leonis; Sagittarij, & Aquarij.

Horæ	Distantiæ Grad. M.	Logarithmi secundi	Sinus	Altitud. Gr. M.
17	6. 36	999711		
		*982184	*24436	
		981895	65913	
		Summa, Sinus Altitudinis horæ 17. ♊, & ♌	91349	64. 37
		Differentia, Sinus Altitudinis horæ 19. ♐, & ♒	41477	24. 30
16	8. 24	999532		
		*982184	*24436	
		981716	65650	
		Summa, Sinus Altitudinis horæ 16. ♊, & ♌	90086	64. 16
		Differentia, Sin. Altitudinis horæ 20. ♐, & ♒	41214	24. 20
15	23. 24	996273		
		*982184	*24436	
		978457	60876	
		Summa, Sinus Altitudinis horæ 15. ♊, & ♌	85312	58. 34
		Differentia, Sinus Altitudinis hor. 21. ♐, & ♒	36440	31. 22
14	38. 24	989415		
		*982184	*24436	
		971599	52002	
		Summa, Sinus Altitudinis horæ 14. ♊, & ♌	76438	49. 51
		Differentia, Sinus Altitudinis hor. 22. ♐, & ♒	27566	14. 0
13	53. 24	977541		
		*982184	*24436	
		959725	39555	
		Summa, Sinus Altitudinis horæ 13. ♊, & ♌	63991	39. 48
		Differentia, Sinus Altitudinis horæ 23. ♐, & ♒	15119	8. 42
12	68. 24	956599		
		*982184	*24436	
		938783	24418	
		Summa, Sinus Altitudinis horæ 12. ♊, & ♌	48854	29. 15
		Differentia, Sinus Altitudinis horæ 24. Cyphra	18	0. 0

Exem-

Exemplum calculi Altitudinum ad horas singulas Phœbo Æquatorem lustrante.

Horæ	Distantiæ		Logarith. secundi.	Altitudin. Grad. M.
23	75. 0	Logarithmus secundus	941300	
		Logar. Altit. Æquatoris generalis	*984948	
		Summa Altit. hor. 23. & 13. ♈, ♎	926248	10. 33
22	60. 0		969897	
			*984948	
		Summa Altit. hor. 22. & 14. ♈, ♎	954845	20. 42
21	45. 0		984940	
			*984948	
		Sūma Logar. Altit. h. 21. & 15. ♈, ♎	969896	30. 0
20	30. 0		993753	
			*984948	
		Sūma Logar. Altit. h. 20. & 16. ♈, ♎	978701	37. 46
19	15. 0		998494	
			*984948	
		Sūma Logar. Altit. h. 19. & 17. ♈, ♎	983442	43. 5
18	Altitudo horæ 18. semper est Altitudo Æquatoris Regionis, velut in præsenti exemplo. grad.			45. 0

Praxis IX. Data ex antecedenti praxi altitudine Solis quacumque hora, & in quotis parallelo, vmbram illius Gnomonicam, tùm rectam, tùm versam metiri.

QVid sit vmbra recta, & versa; quæ Solis altitudinis apparentis, & veræ; limbi, & centri; & quomodo singulæ inuestigandæ, satis explicauimus supra *in secunda, & nona praxi capitis primi huius lib.*

Hic tamen obseruandum est Geometras, qui Gnomonicas Tabulas, earumque vsum tradunt, non religiosè adhibere apparentem altitudinem limborum Solis, sed veram altitudinem centri Solis; (spretis etiam parallaxi, & refractione;) & quidem, hac in re, citra errorem sensibilem.

Data igitur Solis altitudine eius vmbra facillimè patescit ex dictis *Prima parte, lib. 2. cap. 6. prax. 4. num. 13.* si fiat Analogia; Vt Radius 100000. Ad tangentem complementi altitudinis datæ: Ita Stylus in quotcumque partes diuisus, ad partes vmbræ quæsitæ.

Nos autem cum Ioanne Paduano Veronensi, in Tabulis Gnomonicis in-

fra

fra sequentibus, supponimus stylum diuisum in partes 12. easque singulas in minuta sexaginta subdiuisas.

Exemplum.

SIt data altitudo Solis existentis in principio Cancri hora 9. Italica, grad. 3. m. 55. ad latitudinem Poli grad. 45. Quæritur illius vmbra hoc pacto.

Vt Radius 100000. Ad complementi altitudinis datæ grad. 3. m. 55. Tangentem 1460592. Ita Stylus partium 12. ad 17527104. quibus diuisis per Radium, (abiectis scilicet figuris quinque postremis) relinquuntur P. 175. pro vmbra quæsita. Deinde multiplicetur numerus abiectus 27104. in 60. & productus 1626240. rursus diuisus per radium dabit minuta 16. Vnde vmbra quæsita euadet. P. 175. m. 16. seu rotunde P. 175. m. 17.

Præxis X. Datis angulo horario, & altitudine Solis, Azimuth eiusdem calculo inuestigare.

1 DE Azimuthis iuxta communem Astronomorum sensum egimus supra *Episagoge 3. cap. 3. num. 1. Primæ partis.* Nunc autem de ijsdem dicendum est, vt accipiuntur ab Horographis in Gnomonica. Quo pacto Azimuth definitur, Arcus Horizontis inter Meridianum, aut Verticalem primarium, & Verticalem Solis interceptus; alijs circumferentia nuncupatus. Vt in superiori figura, *praxis 8. pag. 12.* Arcus Horizontis H K, vel K T, est Azimuth, siue circumferentia hor. 2. & 10. Astronomicarum.

Methodus indagandi Azimutha Solis existentis in Æquatore.

2 VT Radius, ad secantem altitudinis Solis: Ita Sinus anguli horarij, ad Sinum Azimuth quæsiti.

Exemplum. Quæratur Azimuth Solis in Æquatore hora 21. sub Altitudine Poli grad. 45. cuius horæ distantia *ex superiori praxi 8. num. 34.* est grad. 45. m. 0. Altitudo verò grad. 30. m. 0. Sic igitur operabimur.

Vt Radius 100000. Ad Altitudinis Solis grad. 30. m. 0. Secantem 115470. Ita Sinus anguli horarij grad. 45. m. 0. 70711. Ad Sinum 81650. cui respondet Azimuth à Meridiano grad. 54. m. 44. cuius complementum grad. 35. m. 16. erit Azimuth numeratum à puncto proximiori Verticalis primarij.

Vel Logarithmicè. Iungantur Logarith. anguli horarij grad. 45. 984948
Et Tomologarithmus Altitudinis Solis grad. 30. m. 0. —— 6247
Colligitur Logarithmus Azimuth, vt prius grad. 54. m. 44. —— 991195

Methodus inueniendi Azimuth Solis in parallelis extra Æquatorem.

3 VT Sinus complementi altitudinis Solis, ad Sinum Anguli horarij: Ita Sinus complementi declinationis Solis, (siue paralleli dati,) ad Azimuth quæsitum.

Vbi nota. Si angulus horarius quadrantem grad. 90. excedit; tunc sumendus est Sinus ipsius complementi ad 180. Præterea fac accipias angulum dati paralleli proprium.

4 *Exemplum*. Quæratur Azimuth horæ 20. Italicæ, Sole parallelum Cancri percurrente sub altitudine Poli grad. 45. cuius horæ (*ex superiori praxi 8. sub num.* 28.) distantia est grad. 55. m. 46. & altitudo grad. 40. m. 18. Vnde sic ordinabitur Analogia.

Vt Sinus complementi altitudinis Solis grad. 40. m. 18. 76267. Ad Sinum anguli horarij, grad. 55. m. 46. 82675. Ita Sinus complementi declinationis Solis in dato parallelo Cancri grad. 23. m. 30. 91706. Ad 99411. Sinum grad. 83. m. 47. Azimuth Solis numeratum à Meridiano; cuius complementum grad. 6. m. 13. erit Azimuth eiusdem horæ numeratum à Verticali primario.

Vel Logarithmicè, Iungantur

Logarithmus anguli horarij, siue distantiæ grad. 55. m. 46.	991738
Logarithmus complementi declinationis Solis grad. 23. m. 30.	996240
Tomologarithmus proprius altitudinis Solis grad. 40. m. 18.	11766
Colligitur, vt prius Logarith. Azimuth à Meridiano gr. 38. m. 47.	999744

Praxis XI. De speciali calculo Altitudinum horarum Astronomicarum, & Inæqualium, siue Antiquarum; & pro horarijs construendis in regionibus sub Altitudine Poli, maiori grad. 66. m. 30.

1 HACtenus exempla dedimus in horis tantùm Italicis; ideò videndum est, in quibus reliqua horarum genera cum illis conueniant, vel diiconueniant in calculo.

De Astronomicis.

2 PRo horis Astronomicis, quæ & Gallicæ, Germanicæ, & Hispalicæ dicuntur altitudines parallelorum, & Æquatoris eadem planè Methodo supputantur, qua de Italicis dictum est. Tria nihilominus sunt illis specialia, & propria.

3 *Primum*. Quod earum distantiæ vtrinque à Meridiano per gradus quindenos terminantur, vt supra *in praxi 7. num. 2. huius capitis*.

4 *Secundum*. Quatuor Altitudines, tres videlicet ipsius horæ duodecimæ

Au-

Australis, nempe vtriusque Tropici, & Æquatoris; & altitudo horæ sextæ semper sunt notæ tantùm ex fundamentali calculo trium primorum Inuentorum.

Nam aggregatum ex gradibus altitudinis Æquatoris, & declinationis Solis, est altitudo horæ duodecimæ in principio Cancri. Eorumdem graduum differentia est eiusdem duodecimæ altitudo in principio Capricorni; & altitudo Æquatoris plani, est etiam altitudo horæ duodecimæ in Æquatore.

Altitudo verò horæ sextæ in vtroque parallelo opposito, siue Tropicorum, siue aliorum, pro quibus calculus instituitur, est semper arcus Inuenti tertij. Veluti sub altitudine Poli grad. 45. Altitudo Horizontalis horæ sextæ in vtroque Tropicorum est grad. 16. m. 23.

5 *Tertium*. Istarum horarum altitudinum supputatio maximè compendiosa est. Siquidem in parallelis omnibus sufficit alterutrius tantùm partis, Orientalis scilicet, aut Occidentalis, altitudines supputare; nam vtrinque à Meridiano, quæ horæ distantiam æqualem habent, eadem gaudent altitudine. Sed hoc etiam horis antiquis conuenit.

Monitum generale.

6 ILlud autem hic summopere animaduertendum, vt cum distantia horaria quadrantem (hoc est gradus 90.) excedit, in omnibus horarum generibus, pro calculo Inuenti quinti, accipias Sinum, vel Logarithmum graduum excessus supra quadrantem, (quod etiam supra *in 8. Praxi* admonuimus;) ac tùm *Inuentum quintum* non addendum, sed subtrahendum *tertio*; vt inde *sextum*, & *vltimum* emergat, cui respondent gradus altitudinis quæsitæ. Et hoc quidem necessariò obseruandum est in horis omnibus, vltra sextam Astronomicam, & secundam, vel decimam ex Antiquis.

De horis Inæqualibus, siue Antiquis.

7 HOræ Antiquæ, seu Inæquales, speciales habent distantias pro singulis omnibus parallelis, ex proprio cuiuslibet arcu Semidiurno excerpendas, ea Methodo, quam supra *praxi 7. num. 7.* præcepimus.

8 In harum altitudinibus supputandis *Inuenta* fundamentalia, nimirum *secundum*, & *tertium* pro vno parallelorum septentrionalium comparata deseruiunt etiam eidem opposito Australi. At *Inuentum quintum* supputandum est pro singulis horis, cum proprijs distantijs cuiuslibet paralleli Septentrionalis seorsim à supputatione *Inuenti quinti* horarum paralleli Australis illi oppositi: & habito *Inuento quinto*, vt *sextum*, & *vltimum* adipiscaris, in signis Septentrionalibus, *quinto eidem* addendum est *tertium*, & in Australibus subtrahendum.

9 Cœterum Æquatoris altitudines eædem sunt in horarijs antiquis, ac in Astronomicis, & Italicis.

10 Præterea altitudines omnes horæ sextæ; quæ in horologio antiquo eundem Meridiani locum tenet, quem hora duodecima in Astronomico, eadem pari ratione habentur ex calculo fundamentali, pro binis singulis parallelis sibi inuicem oppositis, quibus talis calculus deseruit.

11 Altitudines tandem Orientales cum Occidentalibus horarum in eodem parallelo æquidistantes à Meridiano prorsus conueniunt; quod quidem supputationis non parum, velut in Astronomicis, compendium affert.

Exemplum.

12 QVæratur altitudo horæ tertiæ Antemeridianæ in Tropico Cancri, & Capricorni pro horologio antiquo Horizontali, sub altitudine Poli grad. 45.

Calculus fundamentalis est idem, ac ille, qui habetur supra *praxi 8. num. 22. huius capitis*, pro Cancro, & Capricorno horarum Italicarum, & Astronomicarum.

Hinc altitudo horæ sextæ in principio Cancri est grad. 68. m. 30. In principio Capricorni grad. 21. m. 30. In Zodiaco grad. 45. m. 0. sicut in hora duodecima Astronomica, cum qua & sexta antiqua prorsus coincidit.

Inuentum secundum est 64846. eiusdem Logarithmus Generalis, 981180. *Inuentum tertium* 28196. vt ibidem pro Tropicis horarum Italicarum.

Distantia horæ tertiæ antiquæ in Cancro est grad. 57. m. 54. in Capricorno grad. 32. m. 6. Vt habetur supra *in Tabella praxis 7. num. 7. huius capitis*.

Quibus præmissis vtraque altitudo horæ tertiæ propositæ seorsim propter diuersam distantiam calculo exaranda est.

Calculus horæ tertiæ antiquæ in Cancro.

13 LOgarithmus Inuenti secundi generalis ——— 981180 | Logar.
Logarithmus secundus distant. hor. 3. grad. 57. m. 54. - 972542 | Sinus.
Logarithmus Sinus Inuenti quinti ——— 953722 | 31448
Sinus, Inuentum tertium addendum ——— | 28196
Aggregatum, Sinus altitud. horæ 3. quæsitæ grad. 38. m. 47. ——— | 62644

Calculus horæ tertiæ antiquæ Capricorni.

14 LOgarithmo Inuenti secundi generalis ——— 991180 | Logar.
Logarithmus secundus distantiæ grad. 32. m. 6. ——— 992795 | Sinus.
Logarithmus Sinus Inuenti quinti ——— 973975 | 54926
Inuentum tertium subtrahendum ——— | 28196
Differentia, Sinus altitudinis horæ 3. quæsitæ grad. 16. m. 30. | 26730

Mo-

15 Modo calculus iste illud habet compendij, quod altitudo horæ tertiæ Cancri, est etiam altitudo horæ nonæ Pomeridianæ eiusdem Cancri, & sic altitudo horæ tertiæ Capricorni eadem est, ac altitudo horæ nonæ eiusdem parallelì.

16 Eadem prorsus ratione operandum est in cæteris parallelis, noua pro binis singulis sibi inuicem oppositis Inuenta genera lia, prima scilicet, secunda, & tertia instituendo, & reliqua deinceps seorsim peragendo in singulis horis.

17 Sequitur Tabella altitudinum horarum antiquarum in principio Tropici vtriusque, ad latitudinem Poli gradum 45. pro horologio Horizontali cum suis vmbris.

Horæ Inæquales.	Altitudines Cancri.		Vmbræ		Altitudines Capricorni.		Vmbræ	
	Grad.	M.	P.	M.	Grad.	M.	P.	M.
12	0.	0	Infinita		0.	0	Infinita	
11 1	12.	3	56.	14	5.	57	115.	8
10 2	25.	12	25.	30	11.	10	60.	47
9 3	38.	48	14.	55	15.	30	43.	16
8 4	52.	3	9.	20	18.	46	35.	20
7 5	63.	22	6.	1	20.	48	31.	36
6	68.	30	4.	44	21.	30	30.	28

18 Omisimus autem altitudines Solis in Zodiaco, quia istæ in omnibus horarum generibus in eodem plano semper sunt eædem; mutatis tantùm horarum denominationibus, vt in Tabella sequenti.

Altitudines G.	0	10	20	30	37	43	45	43	37	30	20	10	0
Altitudines M.	0	33	42	0	46	51	0	51	46	0	42	33	0
Horæ Astronomicæ.	6	5	4	3	2	1	12	11	10	9	8	7	6
Horæ Italicæ.	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24
Horæ Babylonicæ.	12	11	10	9	8	7	6	5	4	3	2	1	24
Horæ Antiquæ.	12	11	10	9	8	7	6	5	4	3	2	1	12

De Altitudinibus supputandis pro horologijs Regionum, quibus Polus eminet supra grad. 66. m. 30.

19 IN Regionibus prædictis Altitudines Solis inuestigantur per præcepta Secundi casus, *praxis* 8. *num.* 13. *& sequentibus*.

20 Hic distantiæ horariè numerantur à Meridiano, sumendo grad. 15. pro hora 1. ante, & post Meridiem; grad. 30. pro duabus, &c. sicut in Astronomicis, supra *prax.* 7. *num.* 2.

21 Arcus diurnus minimus est grad. 360. siue horarum 24. ita, vt sub altitudine

dine Poli grad. 90. Semestris existat. De quo videatur, quæ diximus supra, *praxi 3. num. 4. huius capitis*.

22 Altitudo maxima horæ 12. in principio Cancri, & aliorum parallelorum, qui Horizontem non secant, est duplex; Australis vna, altera Borealis. Prima conflatur ex altitudine Æquatoris, & declinationis Solis aggregato; vt in exemplo allato supra *praxi 8. num. 14.* est grad. 41. m. 30. Secunda ex eorundem graduum differentia, quæ ibidem est grad. 5. m. 30.

23 Sextæ autem altitudo semper est Arcus *Inuenti tertij*, vt in citato exemplo grad. 22. m. 17.

24 Reliquæ omnes altitudines eodem prorsus modo inueniuntur, ac in horis Astronomicis.

Easdem Altitudines in regionibus sub latitudine Poli maiori gradibus 66. m. 30. alia Methodo expiscari.

25 LOgarithmus Secundus distantiæ à Medio Cœlo, cum Mesologarithmo Secundo declinationis, dabit Mesologarithmum vnius arcus.

Deinde Logarithmus declinationis cum residuo Logarithmi Secundi arcus mox inuenti, & Logarithmo Summæ ex ipso, & eleuatione Polari, quando distantia à Medio Cœlo est quadrante minor in parallelo Boreali, & maior in Australi, aut differentiæ, quando ipsa sit maior quadrante in Boreali, & minor in Australi, dabit Logarithmum Altitudinis Solis horæ diurnæ, aut depressionis horæ nocturnæ propositæ.

Exemplum primum.

26 QVæratur in loco sub eleuatione Poli grad. 76. Altitudo Solis existentis in principio Cancri, in distantia horarum duarum, idest, grad. 30. à Medio Cœlo.

CALCVLI FORMA.	G.	M.					
Distantia à Medio Cœlo.	30.	0	l	2	9937531		
Declinatio Borealis maxima.	23.	32	m	2	10361011	l	9601128
Arcus.	63.	18	m	1	10298541	r l	2034745
Eleuatio Polaris.	76.	0		1		1	1
Summa.	139.	18		1		1 l	1981431
Altitudo.	35.	25		1		1 l	1976304

Exem-

Exemplum secundum.

27 QVærarur ibidem Depressio Solis existentis in principio Capricorni in distantia horarum septem, idest grad. 105. à Medio Cœlo, per calculum sequentem inuenitur grad. 26. m. 25.

CALCVLI RATIO.	I G. M. I		
Distantia à Medio Cœlo.	I105. 0I	l	2I 9413001 I
Declinatio maxima Australis.	I 23. 32I	m	2I10361011 l I960128
Arcus.	I 30. 43I	m	I 9774011 r l 2I006565
Eleuatio Polaris.	I 76. 0I		I. I I
Summa.	I106. 43I		I I l I998125
Depressio.	I 26. 25I		I I l I964818

De reliquis supputationibus Azimuthorum, scilicet & vmbrarum in omnibus horarum generibus.

28 PRædictorum calculus idem est in omni horarum genere, ideò nihil est speciale addendum.

Datis ex præcedenti capite Altitudinibus vmbris, & Azimuthis Tabulas Gnomonicas construere iuxta Methodum Ioannis Paduanij Veronensis. Caput II.

Præxis I. Tabulam Horologij Horizontalis ordinare.

1 TAbulas Gnomonicas Paduania Methodo fabricare, nihil est aliud, quam Arcus Azimuthales, siue Horizontales horarum, cum vmbris altitudinum respondentium, ita in continuum disponere, vt circuli peripheriam, in gradus 360. diuisam compleant.

2 Talis autem peripheria circulum plano Conotomo, seu Gnomonico parallelum repræsentare debet; velut in Horizontalibus horarijs, Horizontem; in Verticalibus, Verticalem plani; in Orientalibus, & Occidentalibus, Meridianum, &c.

3 Sit

3 Sit enim, *exempli causa*, peripheria A B C D, in gradus 360. continuos diuisa pro Horologio Horizontali describendo; ea Horizontis planum referet; Diameter A B, Meridianum, siue lineam Styli; A, punctum communis sectionis Meridiani, & Horizontis Australis; B, Borealis. Diameter C D, Verticalem primarium; C, punctum Ortus; D, Occasus.



Hincque planum Semicirculi T A D B, erit pars, in quam cadent omnes horæ matutinæ; & semicirculus T A C B, in quem terminantur Vespertinæ. T C A D, pars Australis; T C B D, Borealis.

4 Cùm autem arcus prædicti Azimuthales supputati sint hinc inde à Meridiano, partim à puncto Australi, A, & partim à Boreali, B; ortum, aut occasum versus, dumtaxat ad quadrantes; (propterea quod Sinuum rectorum, Logarithmorumue operationes 90. graduum numerum non excedant;) vt continuum in circulum graduum 360. numeratum à puncto Boreali, B, per ortum, C, conformentur; opere pretium est scire, qui ad Australes, quiue ad Boreales quartas singulas pertineant. In cuius rei gratiam duo necessariò præmittenda sunt. Et in primis quænam horarum sint matutinæ, & quæ vespertinæ; Deinde, quæ Boreales, & quæ Australes.

5 Quorum *primùm* de facilè assequemur ex Tabula distantiarum horariarum. Nam horæ, quarum distantiæ per subtractionem quindenorum graduum ab Arcu Semidiurno excerpuntur, (*iuxta præceptum praxis 7. cap. 1. huius libri*) omnes sunt vespertinæ, seu Pomeridianæ; reliquæ verò, quarum distantiæ per subtractionem ex ipsis gradibus quindecim, & exinde per additionem quindenorum graduum emergunt, Matutinæ, seu Antemeridianæ; quod etiam ibidem in Tabella horarum ab Ortu, & Occasu adnotauimus. Vbi apparet Matutinas ab Occasu esse hor. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. & 16. Vespertinas autem 17. 18. 19. 20. 21. 22. & 23.

6 Quoad *secundum* nimirum, quæ horæ sint Australes, quæue Boreales, *duplex* traditur *via*.

7 *Prima*, sic. Ex Tabula arcuum Semidiurnorum, quæ habetur supra *praxi 3. capitis 1. huius libri*, accipiatur arcus Semidiurnus Capricorni, conueniens altitudini Æquatoris supra datum planum; non secus, ac si altitudo Æquatoris esset altitudo Poli. Nam horæ omnes, quæ in prædicta distantiarum Tabella, minorem hoc ipso arcu distantiam habent à Meridiano, Boreales erunt; & ex illis matutinæ cadent in quartam T D B; & Vespertinæ in quartam T C B.

Excm-

Exemplum.

8 PRoponatur construenda Tabula pro Horologio Horizontali sub altitudine Poli grad. 45.

Altitudo Æquatoris supra datum planum Horizõtis est itidem graduum 45. Huic in Tabula arcuum Semidiurnorum supracitata respondet arcus Capricorni grad. 64. m. 14. Qui est distantia Solis à Meridiano vsque ad circulum Verticalem primarium, CD.

Quoniam itaque in citata distantiarum horariarum Tabella, inter horas matutinas hor. 13. 14. 15. & 16. habent distantias à Meridiano minores arcu prædicto grad. 64. m. 14. ideò collocandæ sunt in quarta matutina Boreali, TDB; reliquæ verò 9. 10. 11. & 12. in quarta matutina Australi TAD.

Ex Vespertinis autem, ob eandem rationem hor. 17. 18. 19. & 20. spectant ad quartam Vespertinam Borealem TBC; & reliquæ 21. 22. & 23. ad Vespertinam Australem, TCA.

9 *Secunda Methodus* eiusdem rei inuestigandæ, hæc esto.

Per 6. *praxim, capitis primi huius libri*, inuenta altitudine Solis in Verticali primario; (quæ in præsenti exemplo inuenietur, vt ibidem grad. 34. m. 29.) expendantur altitudines horarum Cancri. Et quæcumque hora maioris altitudinis fuerit, quam altitudo Solis in Verticali, ea Borealem partem obtinebit; Matutinam quidem, TDB, si hora sit Antemeridiana, veluti hor. 13. 14. 15. & 16. Vespertinam verò, TCB, si Pomeridiana, sicut hor. 17. 18. 19. & 20. Reliquæ autem eiusdem Tropici Cancri minoris altitudinis, quam Verticalis, in Australem partem, iuxta propriam earum denominationem, Matutinam scilicet, aut Vespertinam, cadent.

10 Hic tamen diligenter *obseruandum*, difficultatem hanc distinguendi horas Boreales ab Australibus, tunc solùm procedere, cùm supra datum planum Gnomonicum Æquinoctialis eleuatur plus gradibus 23. m. 30. & minus gradibus 66. m. 30. Et quidem in illis tantùm horis, quæ cadunt prope stylum, quales in Horizontalibus sunt horæ Tropici Cancri. Nam horæ Æquatoris, ac Tropici Capricorni, citra ambiguitatem, sunt Boreales omnes.

11 Quod si Æquator supra datum planum eleuetur plures gradus, quam 66. m. 30. aut minus gradibus 23. m. 30. tota hæc difficultas euanescit. *Primo* etenim casu omnes horæ Tropici stylo vicinioris describuntur in parte Australi. *Secundo* autem casu dimidiæ in parte Australi, & dimidiæ in Septentrionali contingent.

12 His præmissis Tabulæ diagramma contexitur, cum suis titulis in fronte columnarum, siue laterculorum, vt sequitur.

TABVLA HOROLOGII HORIZONTALIS
Ad latitudinem Poli grad. 45.

H. Italica	Tropicus Cancri		Æquinoctialis		Tropicus Capricorni		H. Babyl.
	Arcus	Vmbra	Arcus	Vmbra	Arcus	Vmbra	
	Grad. M.	P. M.	Grad. M.	P. M.	Grad. M.	P. M.	
9	240. 13	175. 17					15
10	250. 12	49. 50					14
11	259. 53	27. 0					13
12	270. 0	17. 45	270. 0	Infinita.			12
13	281. 29	12. 3	280. 44	64. 32			11
14	296. 12	8. 26	292. 14	31. 44			10
15	317. 32	6. 0	305. 16	20. 48			9
16	349. 30	4. 48	320. 46	15. 29	310. 28	144. 40	8
17	25. 44	5. 11	339. 15	12. 50	322. 14	56. 6	7
18	52. 50	6. 58	360. 0	12. 0	335. 17	37. 54	6
19	70. 12	9. 51	20. 45	12. 50	349. 26	31. 35	5
20	83. 47	14. 9	39. 14	15. 29	4. 10	30. 38	4
21	95. 1	21. 5	51. 44	20. 48	18. 40	34. 18	3
22	104. 20	34. 21	67. 46	31. 44	32. 14	45. 40	2
23	114. 7	73. 35	79. 15	64. 32	44. 33	63. 58	1
24	124. 20	Infinita.	90. 0	Infinita.			24

In prima columna à sinistris aspicientis describantur omnes *horæ Italicæ*, quas datum planum capit; (*iuxta præceptum praxis 7. num. 3. & praxis 8. num. 27. cap. 1. huius libri*;) & è regione in extrema columna, à dextris ponantur *horæ Babylonicæ*, vt singulæ *Babylonicæ*, singulis *Italicis* ad complementum vsque horarum 24. respondeant.

In columnis vmbrarum è regione cuiuslibet horæ collocetur vmbra conueniens illius altitudini, in Cancro, in Æquatore, & in Capricorno, si omnes adsint; & si placeat, etiam in reliquis parallelis, vt fecimus nos in Tabula Horologij Horizontalis, quæ habetur infra *lib. 2. huius partis*.

In calce Tabulæ pro describendis horis Astronomicis, Hispanicis, &c. adiciatur vmbra Altitudinis Poli ipsius plani, vt in præsenti grad. 45. cuius vmbra est P. 12. m. 0.

Tandem in columnis arcuum distribuantur Azimutha horarum in Cancro, in Æquatore, & in Capricorno, quæ per *praxim* 10. *capitis primi, huius libri*; pro Horologio Horizontali ad Altitudinem Poli grad. 45. inuenta sunt, velut in Tabella hic apposita.

13 Qui tamen Arcus azimuthales, cum (*sicut in principio huius praxis*) admonebamus, non ita sint describendi, vt iacent, sed ita, vt integrum circulum graduum 360. in continuum efficiant; ad hoc peragendum in horis Tropici Cancri; *quatuor* obseruandi sunt *Canones*.

Hora Italica	Cancri		Aequinoctialis		Capricorni	
	Azimutha		Azimutha		Azimutha	
9	60.	13				
10	70.	12				
11	79.	53				
12	90.	0	90.	0		
13	78.	31	79.	16		
14	63.	48	67.	46		
15	42.	28	54.	44		
16	10.	30	39.	14	49.	32
17	25.	44	20.	45	37.	46
18	52.	50	0.	0	24.	23
19	70.	12	20.	45	10.	34
20	83.	47	39.	14	4.	10
21	84.	59	54.	44	18.	40
22	75.	40	67.	46	32.	14
23	65.	53	79.	15	44.	33
24	55.	40	0.	0	55.	40

14 *Primus. Omnes arcus Azimuthales horarum Matutinarum, siue Antemeridianarum Cancri, quæ distantiam habent à Meridiano maiorem arcu Semidiurno Capricorni inuento cum altitudine Æquatoris* (per numerum 7. huius praxis;) *aut minorem altitudinem, quam sit altitudo Verticalis* (per numerum 9.) *erunt arcus in propria columna collocandi, si addantur gradibus* 180.

Tales sunt in præsenti exemplo, Azimutha horarum 9. 10. 11. & 12. Si enim, *exempli causa*, Azimuth hor. 9. quod est grad. 60. m. 13. addatur gradibus 180. fiunt gradus 240. m. 13. Arcus graduum Peripheriæ, numeratus ex B, per C; collocandus in columna arcuum Cancri, è regione hor. 9. & sic de cœteris.

Ratio autem huius additionis grad. 180. patet. Cùm enim hora 9. sit matutina Australis, eius Azimuth computatur in quarta T A D, ex A, versus D, grad. 60. m. 13. vt Arcus iste Azimuthalis ingrediatur in ordinem graduum 360. totius peripheriæ numeratæ ex puncto B, per C, addendi sunt ei duo priores quadrantes, nempe B C, & C A, qui simul conficiunt grad. 180. & cum Azimutho horæ 9. grad. 240. m. 13. Ex quo manifesta erit ratio, tùm additionis, tùm subtractionis in reliquis etiam sequentibus regulis.

15 *Secundus Canon. Omnes Arcus Azimuthales cuiuscumque horæ Antemeridianæ Cancri, quæ distantiam à Meridiano habent minorem eodem arcu Semidiurno Capricorni; siue altitudinem maiorem altitudine Solis in Verticali primario; erunt arcus collocandi in propria columna Tabulæ Cancri, si ab integro circulo grad. 360. auferantur.*

Tales sunt in dato exemplo hor. 13. 14. 15. & 16. Vnde si Azimuth, *exempli gratia*, hor. 13. Cancri, quod est grad. 78. m. 31. dematur gradibus 360. relinquetur Arcus peripheriæ eiusdem hor. 13. grad. 281. m. 29.

16 *Tertius Canon. Si hora quacumque Pomeridiana Cancri distantiam à Meridiano habeat minorem, quam sit arcus Capricorni prædictus; aut altitudinem maiorem altitudine Verticali; arcus illius in columna Cancri describendus, erit tantum Azimuth.*

Tales in hoc exemplo sunt hor. 17. 18. 19. & 20. Ratio est, quia contin-

cri; sic horæ 17. Capricorni, & horæ 19. Cancri, &c. ex quibus tamen distantijs Capricorni illæ tantùm habent respondẽtem horam Cancri in *facie Australi*, quæ non excedunt arcum Semidiurnum Capricorni ad altitudinem Poli Muralis grad. 50. qui est grad. 58. m. 45. quales sunt horæ 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. & 20. reliquæ verò ad *faciem Borealem* spectant; iuxta numerorum dispositionem quartæ columnæ, cuius titulus est, *Horæ Boreales*.

9 Pro horis Æquinoctialis distantia horæ 12. erit grad. 90. distantia horæ 13. grad. 75. &c. vt in sexto Tabellæ laterculo, cuius titulus est, *Distantiæ in Æquatore*.

Distantiæ horariæ pro Verticali directo in locis sub Altitudine Poli grad. 40.

Horæ Australes Capricorni.	*Horæ correspondẽtes Cancri.*	*Arcus diurnus Cancri ad Altitudinem graduum 40.*		*Horæ Boreales.*		*Distantiæ in Æquatore.*	*Horæ Babylonicæ.*
12		111.	24	12	*Antemeridianæ*	90	12
13		96.	24	11		75	11
14		81.	24	10		60	10
15		66.	24	9		45	9
16	20	51.	24	8		30	8
17	19	36.	24	7		15	7
18	18	21.	24	6		0	6
19	17	6.	24	5		15	5
20	16	8.	36	4	*Pomeridianæ*	30	4
21	15	23.	36	3		45	3
22	14	38.	36	2		60	2
23	13	53.	36	1		75	1
24		68.	36	24		90	0
25		83.	36	23			1
26		98.	36	22			2
27		113.	36	21			3

De calculo Generali trium priorum inuentorum pro Altitudinibus.

10 ADdantur simul trianguli horarij crus minus (quod est complementum Altitudinis Poli, idest Altitudo Æquatoris in Plano dato; vt in præcenti exemplo grad. 40.) & crus maius grad. 66. m. 30. necnon ex summa collecta pensetur ad quem ex tribus casibus *capitis primi*, *praxis* 8. *huius libri*, calculus pertineat; quæ modò cùm sit grad. 106. m. 30. nempe quadrante maior, calculus spectabit ad tertium casum; in quo sic proceditur.

CAL-

CALCVLI FORMA.	G.	M.	Sinus
Crus minus, Altitudo Æquatoris in muro Compl. Cruris maioris, Solis maxima declinatio	40. 23.	0 30	
Aggregatum, cuius Sinus, est *Inuentum I.*	63.	30	89493
Differentia eorumdem Crurum	16.	30	28401
Sinuum aggregatum Aggregati Semissis, *Inuentum II.*			117894 58947
Idem *Secundum Inuent.* sublatum à *I. Inuentum III.*			30546

11 Modò accipiatur Logarithmus *Inuenti secundi* 977043. Generalis. Quibus præuissis, (*per numerum* 16. *& sequentes praxis* 7. *capitis primi*,) supputentur Altitudines Tropici vtriusque, & Æquatoris; applicando horis Capricorni, quæ ibi diximus de Cancro; & è conuerso. Ac dignissimum animaduersione *notetur* Compendium, quod habetur *ibidem num.* 26. Tùm etiam fore non paruæ facilitatis, & breuitatis non iniocundæ, si quærantur simul Altitudines, & Azimutha, disponendo calculos altitudinum super folio papyri in sinistra operantis, & in dextra aduersa calculos Azimuthorum. Nam eodem actu, quo in Tabulis Sinuum, & Logarithmorum inuenitur Logarithmus Secundus anguli horarij pro altitudine, exscribi poterit è regione Logarithmus primus pro Azimutho: & inuenta in ijsdem Tabulis altitudine Sinui respondente, statim eiusdem Tomologarithmus ex aduersum notari; quibus cum Logarithmo generali, Complementi declinationis Solis grad. 23. m. 30. - 996240. collectis, emerget Logarithmus Azimuthi illius horæ, cuius inuenta est Altitudo. Idem enim Logarithmus anguli, duobus Azimuthis, duarum scilicet horarum sibi inuicem respondentium, deseruit. Tomologarithmus verò semper assumitur Altitudinis proprius.

Spe-

12 *Speciales calculi Altitudinum, & Vmbrarum ♃, & ♄.*

Horæ	Distantiæ Grad. M.	Logarithmi secundi	Sinus	Altitud. Gr. M.	Vmbræ P. M.
12. & 24. ♃	111. 24	Logarith. excessus gr. 21. m. 24. 956215			
		Logar. Inu. secundi Generalis *977043	*30546		
		Logarithmus Inuenti quinti 933258	21502		
		Differentia, Sin. Altitudinis horæ 12. ♃	9044	5. 11	132. 17
		Summa, Sinus Altitudinis horæ 24. ♃	52048	31. 22	19. 42
13. & 25	96. 24	Logarit. excessus grad. 8. m. 24. 904715			
		Logarithmus Generalis 977043	*30546		
		881758	6569		
		Differerentia, Sinus Altitud. horæ 13. ♃	23977	13. 52	48. 37
		Summa, Sinus Altitudinis horæ 25. ♃	37115	21. 47	30. 2
14. & 26	81. 34	Logarithmus secundus 917474			
		Logar. Inu. secundi Generalis *977043	*30546		
		894517	8802		
		Summa, Sinus Altitudinis horæ 14. ♃	39348	23. 10	28. 3
		Differentia, Sinus Altitud. horæ 26. ♃	21744	12. 33	53. 54
15. & 27	66. 24	Logarithmus secundus 960244			
		Logar. Inu. secundi Generalis *977043	*30546		
		937287	23599		
		Summa, Sinus Altitudinis horæ 15. ♃	54145	32. 47	18. 38
		Differentia, Sin. Altitudinis horæ 27. ♃	6947	3. 59	172. 21
respondentes horis declinantis ad Ortum esse contrariæ denominationis, tùm ratione paralleli, tùm ratione transitus lineæ substylaris; itaut *horis* Capricorni, *ante transitum, in declinante ad Ortum*, respondeant *horæ* Cancri, *post transitum, in declinante ad Occasum*; & *horis post transitum, horæ ante transitum*: Vnde in eliciendis earum arcubus peripheriæ, proprij adhibendi sunt Canones, velut in declinantibus ad Ortum; *semper tamen inclinatione Styli subducta*.

Exemplum. In declinante ijsdem gradibus 54. proponatur eliciendus pro declinante ad Occasum Arcus horæ correspondentis horæ vndecimæ Capricorni, *quæ est ante transitum substylaris, in declinante ad Ortum*; cuius Azimuth est grad. 59. m. 15. Dico huic horæ 11. *iuxta dicta superius num.* 14. respondere *in declinante ad Occasum* horam 25. nempe complementum ad 36. eamque esse *duplicis denominationis oppositæ*, scilicet *paralleli* Cancri, & *post transitum Styli*; ac proinde Arcum illius eliciendum per *Canonem tertium*, *numeri* 18. *huius praxis*.

Subtraho itaque Azimuth grad. 59. m. 15. gradibus 360. relinquuntur gr. 300. m. 45. è quibus rursum inclinationem Styli grad. 38. m. 58. subduco; & remanet Arcus quæsitus grad. 261. m. 47. pro hora 25. Cancri in declinante ad Occasum grad. 54.

Tabulæ hìc non apponuntur, quia habentur infra *lib. 2. Tab.* 109.

Práxis IV. Tabulas construere pro Horologijs Verticalibus directè Ortum, & Occasum aspicientibus.

1 HÆc Horologia describuntur in planis Meridiano æquidistantibus, quæ proinde à Meridie, & Aquilone grad. 90. adamussim declinant; vnde & Meridiana dicuntur, & hor. 12. Videatur supra *lib. 2. cap. 8. partis primæ*.

De prerequisitis ad Calculum.

2 PRimùm, conficienda est Tabella distantiarum horariarum à Meridiano, sumpto Arcu Semidiurno Cancri ad Altitudinem Poli Regionis, iuxta præcepta *praxis 7. superioris capitis*; itaut vltimæ horæ distantia Arcum ipsum Semidiurnum Cancri non excedat.

3 Pro *Italicis* ad latus distantiarum scribuntur etiam horæ Capricorni; sicut in Tabella *citatæ praxis, num.* 4. Vbi horæ 24. Capricorni respondet hora 12. Cancri; 23. Capricorni, 13. Cancri, &c.

4 Distantiæ *Æquinoctialis* formantur accipiendo grad. 90. pro hora 12. Italica, vel 6. Astronomica; reliquæ verò subtractione, vel additione quindenorum graduum.

5 Pro *Astronomicis* exordium sumitur ab hora 6. statuendo Cyphram, hoc est, 0, pro illius distantia. Reliquarum autem horarum distantiæ hinc inde à sexta formantur, sumendo gradus quindecim pro singulis horis.

6 Pro *Antiquis* duodecimæ distantia itidem est Cyphra, siue, 0; A qua hinc,

inde

inde proceditur addendo quantitatem vnius horæ, quousque assumptus Arcus Semidiurnus Cancri non exceditur. Sed oportet conficere seorsim distantias etiam Capricorni; vt *in citata praxi 7. num. 7. capitis præcedentis.*

7 Tùm describantur Tabularum Diagrammata duo. Alterum pro Sciatherico Orientali; Alterum pro Occidentali; Singula suis Arcuum, & Vmbrarum distincta laterculis, ac titulis; vt *infra lib. 2. Tabulæ duæ penultimæ, seu num.* 181. *&* 182.

8 Pro *Astronomicis* tamen vnica Tabula sufficit, cum horis Orientalibus à dextris, & Occidentalibus à sinistris; ita vt sexta, sextæ; & septima, quintæ, &c. vicissim respondeant. Vide *praxim* 1. *cap.* 8. *primæ partis.* Quibus præmissis prosequemur exemplum Horologij Italici sub Altitudine Poli grad. 45.

De Calculo Altitudinum, & Vmbrarum Gnomonicarum, & Azimuthorum Solis.

9 PRo Calculo tùm Altitudinum, tùm Arcuum Azimuthalium Solis, in planis Meridianis, obseruetur Diagramma hìc appositum, in quo



HNOV, sit Plani Meridiani superficies, Ortum directè aspiciens; ac Horologij in ea describendi, veluti Horizon; in quo supputantur Arcus Azimuthales.

HO, Horizon loci ad latitudinem Poli grad. 45. m. o.

ATB, Axis Mundi, & Meridianus Plani; B, Polus Boreus; A, Austrinus.

VTN. Verticalis primarius loci. V, Vertex. N, Nadir.

ÆTQ. Æquator.

CD. Parallelus Cancri; FG, Capricorni.

AIB. Circulus declinationis Solis horæ 18. Italicæ.

S. Sol existens in principio Cancri horæ 18. Italicæ.

TSK. Verticalis Solis, cadens è T, Vertice Plani Gnomonici, per corpus Solis. S, in punctum K, Horizontis eiusdem plani.

SK, est Altitudo Solis supra planum. KB, Arcus Azimuthalis, à Meridiano plani Boreali numeratus.

10 His positis, examinandus est triangulus SBK, rectangulus in K; in quo tria sunt nota. *Primum*, Sinus Anguli recti, nempe Radius 100000. *Secundum*, basis, siue Hypotenusa esse B, quæ est Solis declinationis maximæ

com-

complementum, ſcilicet, grad. 66. m. 30. quorum Sinus eſt 91706. Logarithmus 996240. *Tertium*, eſt Angulus diſtantiæ horariæ S B K, quem metitur Arcus Æquatoris Æ I; & in præſenti exemplo horæ 18. Italicæ grad. 25. m. 46. Quorum Sinus eſt 43471. Logarithmus 963820. *Quibus datis*.

11 Altitudo Solis quacumque hora data, in parallelis extra Æquatorem (vt in præſenti Diagrammate hora 18. Italica, nempe S K, in principio paralleli Cancri) tali reperitur *Analogiſmo*.

Vt Radius 100000. Ad Solis declinationis complementi (in hoc exemplo) grad. 66. m. 30. Siſum 91706.

Ita, Anguli diſtantiæ (nunc) grad. 25. m. 46. Sinus 43471. ad 39866. Sinum Altitudinis S K, grad. 23. m. 29. pro hora 18. Italica, data. Et ſic in reliquis.

12 *Vel, Logarithmicè*.

Logarithmo complementi declinationis paralleli Solis, iungatur Logarithmus diſtantiæ à Meridiano horæ datæ, & colligetur Logarithmus Altitudinis quæſitæ. Vt in allato exemplo horæ 18. Italicæ, Sole in principio Cancri.

Logarithmo complementi declinationis principij Cancri gr. 66. m. 30. omnibus horis communis ——— 996240
Adda tur Logarithmus diſtantiæ horariæ grad. 25. m. 46. ——— 963820
Colligitur Logarithmus Altitudinis quæſitæ grad. 23. m. 29. ——— 960060

Monita.

13 *Primum*. Quando diſtantia eſt maior grad. 90. accipiatur Sinus, vel Logarithmus illius complementi ad grad. 180. Sicut in calculo horæ 24. ſub latitudine Poli grad. 45. cuius horæ diſtantia eſt grad. 115. m. 46. accipitur Sinus, vel Logarithmus grad. 64. m. 14.

14 *Secundum*. Eadem Altitudo, Vmbra, & Arcus Azimuthalis, vtrique Tabulæ, iuxta horarum correſpondentiam, deſeruit; vt in ſequentibus calculis apparebit.

15 *Tertium*. Calculi harum Tabularum incipiendi ſunt ab hora 24. procedendo ad horam tantùm duodecimam excluſiuè.

De Vmbris.

16 VMbræ omnium Altitudinum Sciatherici Meridiani eódem prorſus modo ſupputantur, ac in reliquis horarijs, per *praxim 9. capitis primi, huius libri*.

De Altitudinibus horarum in Æquatore.

17 ÆQuator ÆQ, in his Sciathericis Meridianis est Verticalis primarius plani; ideò altitudines illius, supra planum, coincidunt cum horarum distantijs ab ipso Meridiano loci, HNOV; quem in plano, munus Horizontis obire diximus.

18 Hinc fit, vt sine alio calculo, Altitudo Æquatoris hora 1. à Meridie, vel 11. à Media nocte, & horæ 17. & 19. Italicarum sit grad. 15. Sic horæ 2. vel 10. & 16. ac 20. Italicarum grad. 30. &c.

Arcus Azimuthales tùm parallelorum, tùm Æquatoris calculo exarare.

19 IN eodem triangulo SBK, rectanguló in K.

Ex datis { *Crure* SK, quod semper est Altitudo Solis. *Basi* SB, quæ semper est complementum declinationis Solis; in quouis parallelo; *exempli causa*, in præsenti exemplo, principij Cancri.

Indagatur *Crus alterum* KB; (quod est arcus Azimuthalis quæsitus) hoc *Analogismo*.

Vt, Radius 100000. ad secantem Altitudinis Solis SK (in allato exemplo, horæ 18. Italicæ) grad. 23. m. 29. 109030. Ita declinationis Solis (nunc) grad. 23. m. 30. Sinus 39875. Ad Sinum 43476. complementi Cruris, siue Arcus Azimuthalis quæsiti KB, grad. 64. m. 14. pro hora 18. Italica.

20 *Vel, Logarithmicè.*

Logarithmo declinationis Solis grad. 23. m. 30. ——————— 960070
Iungatur Tomologarith. Altitud. Solis grad. 23. m. 29. ——————— 3755
Colligitur Logarith. compl. Azimuth grad. 64. m. 14. ——————— 963825

21 Æquatoris autem Arcus horæ cuiuslibet semper est ipsius Altitudo supra Horizontem Regionis; vt in nostro exemplo grad. 45.

De reductione Arcuum Verticalium horarum ad Circuli Peripheriam in facie parietis Orientalis.

22 HIc diligenter obseruandum, cùm loquimur de distantia Maiori, vel Minori grad. 90. spectandam esse distantiam cuiusuis horæ propriam, descriptam in Tabella.

22 Pro horis igitur Cancri, *distantiæ maioris gradibus* 90. *addatur arcubus singulis Altitudo Æquatoris: & si Arcus fuerit*, 0, *accipiatur tantùm Æquatoris Altitudo.*

24 *Si distantia sit minor grad. 90. Arcus Verticalis auferatur gradibus 360. Et differentiæ inde collectæ addatur Altitudo Æquatoris; & si proueniens summa existat ad vnguem grad. 360. Arcus Peripheriæ erit, 0; Si verò excesserit, abiectis 360. relinquetur Arcus quæsitus.*

25 Pro horis Capricorni. *Si distantia horæ fuerit maior grad. 90. Arcus auferatur gradibus 180. & residuo adijce Altitudinem Æquatoris. Quod si Arcus sit Cyphra, siue 0, Altitudo Æquatoris adijciatur gradibus 180.*

26 *Si distantia fuerit minor gradibus 90. colligantur Arcus grad. 180. & Altitudo Æquatoris, & summa erit Arcus Peripheriæ quæsitus.*

27 Æquatoris *tandem horarum omnium Arcus est ipsius Æquatoris Altitudo, qui conuertitur in Arcus Peripheriæ, si addatur gradibus 270.*

Arcus reducere ad Peripheriam pro Tabula Occidentali.

28 PRo horis Cancri, *distantiæ Minoris gradibus 90. Altitudo Æquatoris subtrahitur Arcui Verticali (mutuò assumpto integro circulo gradibus 360. quan*

Calculus Altitudinum, Vmbrarum, Azimuthorum,

Horæ	Distantiæ Grad. M.	Logarithmi	Altitud Gr. M.	Vmbræ P. M.
24	115. 46	Logarith. compl. ad 180. gr. 64. m. 14. 995452 Logar. compl. declin. Solis gr. 23. m. 30. *996240		
		Summa, Logar. Altit. horæ 24. ♋, & ♑, 991692 Occid. & h. 12. ♋, & ♑ Orientalis. Hinc Arcus Peripheriæ hor. 24. ♋ Occidentalis	55. 40	8. 12
23	100. 46	Logarith. compl. ad 180. gr. 79. m. 14. 999229 Logarithmus communis *996240		
		Summa, Logar. Altit. horæ 23. Occid. 995469 & 11. Orientalis ♋; & 13. Orient. ♑. Arcus itaque horæ 23. ♋ Occidentalis est	64. 17	5. 46
22	85. 46	Logarithmus distantiæ grad. 85. m. 46. 999881 Logarithmus communis *996240		
		Summa, Logar. Altit. horæ 22. ♋ Occid. 996121 & h. 10. ♋ Orient. necnon 14. ♑ Or. Ideò Arcus horæ 22. ♋ Occidentalis est gr. 324.	66. 8	5. 19
21	70. 46	Logarithmus distantiæ 997506 Logarithmus communis *996240		
		Summa, Logar. Altit. hor. 21. ♋ Occid. 993746 & horæ 9. ♋ Orient. & horæ 15. ♑ Or. Hinc Arcus horæ 21. ♋ Occid. est grad. 252. m. 9.	59. 59	6. 56

Se-

do Arcus minor est Altitudine Aequatoris ;) & residuum erit Arcus Peripheria quæsitus.

29 *Sin verò distantia fuerit maior gradibus* 90. *subtrahitur gradibus* 360 *tùm Arcus ipse Verticalis ; tùm Altitudo Aequatoris : vel ista sola, quando Arcus est Cyphra, seu,* 0.

30 Pro Capricorno ; *si distantia fuerit minor gradibus* 90. *tùm Arcus, tùm Aequatoris Altitudo subtrahitur gradibus* 180.

31 *Si distantia fuerit maior gradibus* 180. *additur Arcus, & subtrahitur Altitudo Aequatoris. Et quando Arcus est Cyphra, subtrahitur nihilominus Aequatoris Altitudo.*

32 Æquatoris *horarum omnium Arcus, est Aequatoris eiusdem Altitudo, quæ gradibus* 90. *subtrahenda est. Et hæc de regulis hactenus. Modò sequuntur omnium operationum exempla sub latitudine Poli gradibus* 45. *sumptis distantijs horarijs à Meridiano ex Tabella superioris capitis, prax.* 7. *num.* 4.

& Arcuum utriusque Tabulæ, ac Tropici.

	Logarith. & Tomologar.
Logarithmus declinationis Solis Generalis grad. 23. m. 30.	960070
Tomologarithmus Altitudinis horæ 24. grad. 55. m. 40.	24872
Summa, Logarithmus secundus Azimuth grad. 45. m. 0. horæ 24. ♋, & ♑ Occidentalis, & horæ 12. ♋, & ♑ Orientalis. est gr. 270. & horæ 24. ♑ gr. 90. hor. 12. ♋ Or. gr. 0. m. 0. h. 12. ♑ gr. 180.	984942
Logarithmus Generalis	960070
Tomologarithmus Altitudinis grad. 64. m. 17.	36259
Summa, Logarithmus secundus Azimuth grad. 23. m. 14. horarum prædictarum ; 23. Occidentalis. gr. 291. m. 46. horæ 11. ♋ Or. gr. 21. m. 46. horæ 13. ♑ Or. gr. 201. m. 46.	996329
Logarithmus Generalis	960070
Tomologarithmus Altitudinis grad. 66. m. 8.	39296
Summa, Logarithmus secundus Azimuth grad. 9. m. 46. m. 46. horæ 10. ♋ Orient. gr. 54. m. 46. & horæ 14. ♑ Or. gr. 234. m. 46.	999366
Logarithmus Generalis	960070
Tomologarithmus Altitudinis grad. 59. m. 59.	30081
Summa, Logarithmus secundus Azimuth grad. 37. m. 9. horæ 9. ♋ Orientalis grad. 82. m. 9. horæ 15. ♑ Orient. gr. 262. m. 9.	990151

Sequuntur calculi Altitudinum, Vmbrarum, Azimuthorum,

Horæ	Distantiæ Grad. M.	Logarithmi		Altitud. Gr. M.	Vmbræ P. M.
20	55. 46	Logarithmus distantiæ	991738		
		Logarithmus communis	*996240		
		Summa, Logar. Altit. horæ 20. ♋ Occidentalis, & horæ 16. ♑ Orientalis.	987978	49. 18	10. 19
		Arcus igitur horæ 20. ♋ Occidentalis est gr. 7.			
19	40. 46	Logarithmus distantiæ	981490		
		Logarithmus communis	*996240		
		Summa, Logar. Altit. horæ 19. ♋ Occidentalis, & horæ 17. ♑ Orientalis.	977730	36. 47	16. 3
		Est igitur Arcus horæ 19. ♋ Occidentalis gr. 15.			
18	25. 46	Logarithmus distantiæ	963820		
		Logarithmus communis	*996240		
		Summa, Logar. Altit. horæ 18. ♋ Occidentalis, & ♑ Orientalis.	960060	23. 29	27. 37
		Ideò Arcus horæ 18. ♋ Occidentalis est gr. 19.			
17	10. 46	Logarithmus distantiæ	927140		
		Logarithmus communis	*996240		
		Summa, Logar. Altit. horæ 17. ♋ Occidentalis, & 19. ♑ Orientalis.	923380	9. 51	69. 7
		Arcus igitur horæ 17. ♋ Occidentalis est gr. 21.			

33 *Altitudinum, Vmbrarum, & Arcuum Æquatoris paradigmata.*

Horæ	Distantiæ Grad. M.	Altitudines Grad. M.	Vmbræ P. M.
12. Orientalis, & 24. Occidentalis.	90. 0	0. 0	0. 0
11. & 13. Orient. & 23. Occident.	75. 0	75. 0	3. 13
10. & 14. Orient. & 22. Occident.	60. 0	60. 0	6. 56
9. & 15. Orient. & 21. Occident.	45. 0	45. 0	12. 0
16. Orientalis, & 20. Occidentalis.	30. 0	30. 0	20. 47
17. Orientalis, & 19. Occidentalis.	15. 0	15. 0	44. 47

Artium utriusque Tabulæ, ac Tropici.

	Logarith. & Tomologar.
Logarithmus Generalis Tomologarithmus Altitudinis grad. 49. m. 18.	960070 18569
Summa, Logarithmus secundus Azimuth grad. 52. m. 18. m. 18. & horæ 16. ☽ Orientalis grad. 277. m. 18.	978639
Logarithmus Generalis Tomologarithmus Altitudinis grad. 36. m. 47.	960070 9642
Summa, Logarithmus secundus Azimuth grad. 60. m. 8. m. 8. & horæ 17. ☽ Orientalis grad. 285. m. 8.	969712
Logarithmus Generalis Tomologarithmus Altitudinis grad. 23. m. 29.	960070 3755
Summa, Logarithmus secundus Azimuth grad. 64. m. 14. m. 14. & horæ 18. ☽ Orientalis grad. 289. m. 14.	963825
Logarithmus Generalis Tomologarithmus Altitudinis grad. 9. m. 51.	960070 645
Summa, Logarithmus secundus Azimuth grad. 66. m. 8. m. 8. & horæ 19. ☽ Orientalis grad. 291. m. 8.	960715

34 Arcus Æquinoctialis pro omnibus horis, est eiusdem Altitudo supra Horizontem; vt in præsenti exemplo, grad. 45.

35 *Reducitur autem ad Arcus Peripheriæ, si in Orientali addatur gradibus 270. vnde fiet gradus 315. pro omnibus punctis Vmbrarum.*

36 *At in Occidentali Altitudo Æquatoris subtrahenda est gradibus 90. & sic in præsenti exemplo relinquetur Arcus omnibus horis communis grad. 45.*

Exempla Tabularum.

TAbulas exemplares hic non apponimus, quia habentur infra *lib.* 2. quæ sunt duæ Tabulæ penultimæ, *num.* 181 & 182.

Praxis V. Tabulas calculo exarare pro Horologijs Sciatherijs Polaribus.



1 HIc omnia ſupponimus, quę de Sciatherico Polari diximus ſupra *libro 2. capite 9. primæ partis*. Pro cuius ampliori explicatione, necnon illius Altitudinum, & Arcuum Azimuthalium calculo, ad proprias Tabulas Sciathericas conficiendas, Theoricum Diagramma adumbretur eiuſmodi; in quo

HNOV, ſit Meridianus loci, & Plani Gnomonici Polaris.

AB, Planum Gnomonicum Polare, de quo modo loquimur, tranſiens per vtroſque Polos; B, Borealem, & A, Auſtralem; & per puncta Orientis, & Occidentis T; eleuatum ſuper Horizontem loci, HO; grad. 45. quos metitur Arcus Meridiani, OB.

S, Locus Solis in principio Cancri, hora 18. Italica.

V, Vertex loci. Æ, Vertex Plani, AB, Polaris.

ÆSK, Quarta Verticalis cadens è Vertice Plani, AB, per corpus Solis, S; cuius etiam metitur cùm Altitudinem SK, ſuper Horizonte, AB, plani ipſius proprio; tùm Arcum Azimuthalem BK, numeratum à Meridiano B, ſcilicet Boreali; vel TK, numeratum à puncto T, Ortus, & Occaſus.

Cœtera eodem prorſus modo ſe habent, ac in Diagrammate ſuperioris praxeos. *Quibus poſitis*, ſit.

De Diſtantijs Horarijs.

2 DIſtantiæ ſupputantur ex Arcu Semidiurno, cuiuſcumque paralleli propoſiti, accepto ad Altitudinem Poli Regionis, in qua delineandum eſt Sciathericum Polare; iuxta *praxim 7. capitis primi, huius libri*. Vnde Tabellæ diſtantiarum ibidem poſitæ, huic etiam calculo deſeruient; ſub latitudine Poli grad. 45.

3 Cùm autem Polaris Plani *duæ* ſint *ſuperficies*, nimirum *ſuperior*, & *inferior*, ſeu *Auſtralis*, & *Borealis*, notandum eſt, in ſuperficie Auſtrali, eas tan-

tùm

tùm horas cadere, quarum distantiæ gradus 90. non excedunt; reliquas verò ad *superficiem inferiorem*, scilicet; *Borealem* spectare.

De calculo Altitudinum, Parallelorum extra Æquatorem.

4 PRoponatur exemplum Altitudinis horæ 18. Italicæ, Sole in principio Cancri, cuius loci declinatio est grad. 23. m. 30. & distantia horaria *ex Tabula citata praxis* 7. est grad. 25. m. 46.

In triangulo ÆIS, rectangulo in I.

Dato utroque Crure { ÆI, *Arcu Æquatoris*, qui semper est distantia à Meridiano horæ datæ (nunc) horæ 18. grad. 25. m. 46.
IS, *declinatione Solis*, (nunc) grad. 23. m. 30.

Quæritur *basis*, siue *hypotenusa* ÆS, complementum SK, Altitudō Solis, hoc *Analogismo*.

Vt, Radius 100000. ad Sinum complementi declinationis Solis SB, gr. 66. m. 30. - 91706. Ita Sinus complementi cruris ÆI, distantiæ horariæ gr. 25. m. 46. - 90057. Ad 82588. Sinum Altitudinis Solis SK, grad. 55. m. 40. pro hora 18. Cancri.

5 *Vel, Logarithmicè.*

Logarithmo compl. declinationis Solis grad. 66. m. 30.	966240
Addatur Logarith. compl. distantiæ horæ 18. grad. 25. m. 46.	995452
Colligitur Logarithmus Altitud. quæsitæ grad. 55. m. 40.	991692

Monitum.

6 SIngulæ autem Altitudines paralleli Cancri, horis etiam Capricorni distantiæ eiusdem deseruiunt. Vt Altitudo horæ 24. ♋, horæ 12. ♑: Altitudo horæ 23. ♋, horæ 13. ♑, &c.

Altitudines Æquatoris.

7 ALtitudines Æquatoris ÆT, sunt Arcus distantiæ eiusdem ab Horizonte Plani AB, ex T, in Æ, numeratæ, gradibus 15. horis singulis attributis; ita, vt ad Meridianum vsque integrum quadrantem grad. 90. perficiant; quod numeri Diagrammatis ostendunt.

De Vmbris.

8 VMbræ Methodo eadem supputantur, ac in cœteris. Vide *prax. 9. cap. 1. huius libri*.

De

De Arcubus Azimuthalibus in parallelis.

9 IN triangulo SKB, rectangulo in K.
Datis { Basi SB, complemento declinationis Solis grad. 66. m. 30.
Crure SK, Altitudine Solis grad. 55. m. 40.
Quæritur Crus alterum KB, compl. Azimuth horæ 18.

Analogismus.

VT Radius 100000. ad secantem Altitudinis Solis SK, grad. 55. m. 40. 177393. Ita declinationis Solis grad. 23. m. 30. Sinus 39875. Ad 70700. Sinum grad. 45. m. 0. Arcus Horizontalis horæ 18. Italicæ; numeratiex T, puncto Ortus, & Occasus; sicut reliqui omnes Arcus eiusmodi in præsenti Sciatherico numerandi sunt.

Per Logarithmos.

LOgarithmo declinationis Solis grad. 23. m. 30.	960070
Iunga tur Tomologarithmus Altitudinis gr. 55. m. 40.	24872
Colligitur Logarithmus Azimuth grad. 45. m. 0.	984942

Arcus Azimuthales Æquatoris.

10 PRo horis omnibus sunt duo puncta, Orientis nimirum, & Occidentis.

11 *De horum Arcuum reductione ad Arcus Peripheriæ pro superficie superiori.*

IN Antemeridianis	Cancri / Capricorni	Azimuth	Aufer / Adde	grad. 90.
In Pomeridianis	Cancri / Capricorni	Azimuth	Adde / Aufer	grad. 270.
Æquatoris Arcus omnes	Antemeridiem / Postmeridiem	sint grad.		90. / 270.

Pro superficie verò inferiori.

ANtemeridiem / Postmeridiem	Azimuthales Arcus	Adde / Aufer	grad.	270. / 90.

Quod Sciathericum Horologium Polare cum integro Meridiano planè coincidit.

12 ID clarè satis explicauimus *libro secundo, cap. 9. prima partis*; & hac de causa huius Sciatherici Polaris speciales calculos, Tabulasque libenter omittimus. Si enim Horologium integrum (idest lineis horarijs, supra, & infra lineam Horizontalem protractis) ex Tabula Horologij Meridiani Orientalis in plano Polari describatur; mutatis horarum tantùm numeris, & ordine, vt in citato capite docuimus, erit idem exactè Polare.

Praxis VI. De Polari communiter dicto, scilicet declinante à Meridiano, describendo.

1 IN *superioris partis lib. 2. cap. 9.* duplex innuimus esse planum Polare; vnum sic dictum, quasi Antonomasticè; quod scilicet per vtrosque Polos, & per puncta Ortus, & Occasus transit; & ad Meridianum rectum est; de cuius Horario egimus *in præcedenti praxi, num. 12.* alterum quod quidem per vtrosque Polos transit; non tamen per puncta Ortus, & Occasus; nec ad Meridianum rectum est, sed ab ipso, Ortum, vel Occasum versus, declinat; de quo loquimur in præsenti.

2 Si tale itaque planum Polare declinet ad Ortum, ac Sciathericum in eius facie superiori construendum fuerit; gradus declinationis Arcui Semidiurno Cancri, Regionis, addantur; subtrahanturque si declinatio sit ad Occasum. Idemque seruetur cum Arcu Semidiurno Æquatoris grad. 90.

3 Tùm ex hac Summa, vel Differentia conficiantur distantiæ horariæ, iuxta præcepta *praxis 7. capitis primi huius libri*.

4 Tertiò, supputentur Altitudines, & Arcus Horizontales illarum tantùm horarum, quarum distantiæ, Arcum Semidiurnum Æquatoris grad. 90. non excedunt; & pro Antemeridianis, Pomeridianisque intelligantur illæ horæ, quæ sunt ante, vel post lineam substylarem.

Exemplum.

5 PRopositum sit construendum Sciathericum in plano Polari declinante ad Ortum grad. 30. sub Altitudine Poli grad. 45. sic proceditur.

TABELLA DISTANTIARVM HORARVM pro allato exemplo.

Horæ ♋	115. 46 30. 0 Arcus Semidiur. ♋ Declin. Or. Plani	Horæ ♑	Arcus Semidiur. Æquat. 90 Declinatio Orient. Plani 30	Horæ ♈ & ♎
24	145. 46	8	120	24
23	130. 46	9	105	23
22	115. 46	10	90	22
21	100. 46	11	75	21
20	85. 46	12	60	20
19	70. 46	13	45	19
18	55. 46	14	30	18
17	40. 46	15	15	17
16	25. 46	16	15	16
15	10. 46	17	30	15
14	4. 14	18	45	14
13	19. 14	19	60	13
12	34. 14	20	75	12
11	49. 14	21	90	11
10	64. 14	22	105	10
9	79. 14	23	120	9

Altitudines, Vmbras, & Arcus Azimuthales Cancri, Æquatoris, & Capricorni supputare.

6 HÆc omnia ijsdem exantlantur *Analogismis*, atque in superiori praxi.

Exemplum Altitudinis, & Vmbræ horæ 18. Cancri in dato plano declinante ad Ortum gr. 30.

7 IVngantur Logarithmus secundus declinationis Solis maximæ gr. 23. m. 30. —— 996240
Et Logarithmus complementi distantiæ horæ 18. gr. 55. m. 46. —— 975017
Colligitur Logarithmus Altitud. quæsitæ gr. 31. m. 3. V. 19. 56. —— 971257

Exemplum Altitudinis, & Vmbræ horæ 18. Capricorni.

8 LOgarithmus secundus declinationis Solis grad. 23. m. 30. —— 996240
Logarithmus secundus distantiæ horæ 18. ♑ gr. 4. m. 14. —— 999881
Colligitur Logarithmus Altit. horæ 18. ♑ gr. 66. m. 9. V. 5. 18. —— 996121

Exem-

Exemplum Altitudinis, & Vmbræ horæ 18. Æquatoris.

9 ALtitudo Æquatoris est complementum distantiæ eiusdem. Ideò horæ 18. Altitudo, est grad. 60. nempe complementum distantiæ grad. 30. Vmbra autem respondens Altitudini grad. 60. est P. 6. m. 56.

Exemplum Azimuth horæ 18. Cancri.

10 LOgarithmus declinationis Solis grad. 23. m. 30. —— 960070
Tomologarithmus Altitudinis horæ 18. ♋, grad. 31. m. 3. —— 6716
Colligitur Logarithmus Azimuth horę 18. dictę, gr. 27. m. 44. —— 966786
Cui adde —— grad. 270. m. 0.
Conflatur Arcus eiusdem —— grad. 297. m. 44.

Exemplum Azimuth horæ 18. Æquatoris.

11 QVoniam hora 18. Æquatoris hic est Pomeridiana; ideò Arcus eius Azimuthalis erit grad. 270.

Exemplum Azimuth horæ 18. Capricorni.

12 LOgarithmus declinationis Solis maximæ grad. 23. m. 30. —— 960070
Tomologarithmus Altitudinis horæ ♑, grad. 66. m. 9. —— 39325
Colligitur Logarithmus Azimuth horæ 18. ♑, grad. 80. m. 27. —— 999395
Quo deducto è gradibus —— 270. m. 0.
Relinquitur Arcus horæ prædictę graduum —— 189. m. 33.

Exemplum Tabulæ Gnomonicæ pro tribus punctis prædictis horæ 18.

	Tropicus Cancri				Æquinoctialis				Tropicus Capricor.			
Horæ	Arcus Grad.	M.	Vmbra P.	M.	Arcus Grad.	M.	Vmbra P.	M.	Arcus Grad.	M.	Vmbra P.	M.
18	297.	44.	19.	56.	270.	0.	6.	56.	189.	33.	5.	18.

Praxis VII. De Sciathericis Aequinoctialibus.

1 ÆQuinoctialium Sciathericorum descriptio Geometrica, quam *lib. 2. cap. 10. partis primæ*, adumbrauimus, est quidem exacta, facilis, ac delectabilis; Verum, quo ad modum operandi expeditior, exactior, & securior euadit adminiculo Peripheriæ; ideò hanc Methodum existimaui omittendam non esse.

De Altitudinibus, & Vmbris.

2 PRoposito quocumque Solis parallelo delineando in planis Æquinoctialibus, vnica erit Altitudo, ac proinde Vmbra itidem vnica, pro horis omnibus eiusdem paralleli; quippe declinatio illius ab Æquatore.

Exempli causa. Parallelorum, siue Tropicorum Cancri, & Capricorni Altitudo est grad. 23. m. 30. quanta est eorum declinatio, Vmbra verò P. 27. m. 36. & paralleli initiorum Tauri, & Scorpionis Altitudo est grad. 11. m. 30 Veluti declinatio; Vmbra P. 58. m. 59. Vnde vnica circini diuaricatione, quilibet parallelus, è centro Gnomonico describi poterit.

3 Declinationes autem Signorum ad singulos gradus habentur *lib. 2. primæ partis, in prima praxi, cap. 6.*

De Arcubus Azimuthalibus.

4 AZimuthales Arcus omnium, & cuiuscumque generis horarum, in quouis parallelo, est earum distantia à Meridiano, supputata iuxta præcepta *praxis 7. cap. 1. huius libri*; sumptis Arcubus Semidiurnis sub Altitudine Poli Regionis, in qua construendum est horarium.

Exempli gratia. Arcus Azimuthales Tropici Cancri sub Altitudine Poli grad. 45. sunt distantiæ, quæ habentur *capite, & praxi modo citatis*. Itemque parallelus Cancri deseruit etiam Capricorno, iuxta respondentiam horarum.

Quomodo distantiæ reducantur ad Arcus Peripheriæ.

5 *DIstantiæ omnes Pomeridianæ cum Arcubus Peripheriæ coincidunt: Antemeridianæ verò, subtractæ gradibus 360. relinquunt Arcus quæsitos, pro Sciatherico Superiori; pro Inferiori autem è conuerso. Hinc horæ 24. Cancri Arcus Peripheriæ, est eiusdem horæ distantia à Meridiano grad. 115. m. 46. Horæ 23. grad. 100. m. 46. &c.*

Quod

Quod pro descriptione horarum prater distantias Tropicorum, requiruntur distantiæ alterius paralleli Æquatori vicinioris.

6 ID omnino manifestum est; siquidem hoc in Sciatherico duo Tropici in vnum coincidunt, B E C D; at pro delineatione cuiuslibet lineæ horariæ duo saltem requiruntur puncta. Erit igitur alterum Tropici Cancri; alterum paralleli vicinioris Æquatori; qualis est principij Tauri, siue cuiuscumque gradus ipsius Arietis, & Libræ; non tamen initij; cuius cum nulla sit declinatio, Vmbra foret infinita; proindeque ad horas *Italicas*, & *Antiquas* indicandas prorsus inepta.

7 Cum distantijs itaque Cancri, quæ habentur in Tabella *praxis 7. cap. primi huius libri*, assumemus distantias initij Tauri, cuius Arcus Semidiurnus sub latitudine Poli grad. 45. *per praxim 3. capitis primi huius libri*, est grad. 101. m. 44. Declinatio ex Tabula *prax. 1. cap. 6. lib. 2 primæ partis*, grad. 11. m. 30. Vmbra P. 58. m. 59. Ex quibus talem construximus Tabulam.

TABVLA HOROLOGII ÆQVINOCTIALIS ITALICI
Ad latitudinem Poli grad. 45.

	Cancri			Tauri		
Horæ	Arcus Grad. M.	Vmbra P.	M.	Arcus Grad. M.	Vmbra P.	M.
24	115. 46	27.	36	101. 44	58.	59
23	100. 46			86. 44		
22	85. 46			71. 44		
21	70. 46			56. 44		
20	55. 46			41. 44		
19	40. 46			26. 44		
18	25. 46			11. 44		
17	10. 46			356. 44		
16	355. 46			341. 44		
15	340. 46			326. 44		
14	325. 46			311. 44		
13	310. 46			296. 44		
12	295. 46			281. 44		
11	280. 46			266. 44		
10	265. 46			251. 44		
9	250. 46			236. 44		

Praxis VIII. Sciathericum Irregulare construere in superficie declinanti à Meridiano, super quam eleuatur Polus Horizontalis, & Cœlum, Terramue respicit.

1 PRimùm, per Altipolarium *libri primi primæ partis, cap. 2. prax. 7. Episag. 2.* exploretur Altitudo Poli, supra Planum.
Secundò, tria supputentur *Inuenta*.
Tertiò, conficiantur distantiæ horariæ.
Quartò, inueniantur Altitudines, Vmbræ, Azimuth, &c.

Data Altitudine Poli supra planum tria Inuenta prærequisita supputare.

2 POnatur construenda Tabula Gnomonica pro Superficie, cui Polus emineat grad. 30. declinante à Meridie in Ortum grad. 50. sub Altitudine Poli Regionis grad. 45.

Inuentum primum eadem venabimur *Analogia*, qua supra *cap. 1. prax. 10. huius libri*, Azimuth, extra Æquatorem indagare docuimus.

Iungantur enim Logarithmus Altit. Poli supra Planum gr. 30.	969897
Et Logarithmus secundus declinationis Muri gr. 50.	980807
Colligitur Logarithmus *Inuenti primi* grad. 18. m. 45.	950704
Pro Inuento secundo iungantur	
Logarithmus secundus Altitudinis Poli, supra Planum gr. 30.	993753
Tomologarithmus *Inuenti primi* gr. 18. m. 45.	2368
Colligitur Logarithmus secundus *Inuenti secundi* gr. 23. m. 51.	996121
Pro Inuento tertio iungantur	
Logarithmus *Inuenti secundi* grad. 23. m. 51.	960675
Tomologarithmus secundus Altit. Poli supra Planum gr. 30.	30103
Colligitur Logarithmus *Inuenti tertij* grad. 54. m. 1.	990778

Dato Inuento tertio, angulos horarios, siue distantias horarias componere.

3 SVmpto Arcu Semidiurno ad Altitudinem Poli Regionis (in præsenti exemplo grad. 45.) & eidem addito *Inuento tertio*, constituuntur distantiæ horariæ, eadem prorsus Methodo, qua supra *in praxi 3. num. 7.*

Terminantur autem distantiæ huiusmodi, Arcu Semidiurno, sumpto ad latitudinem Poli Superficiei, quæ Altitudo (in præsenti, vtpote Horizontalis) est *Inuentum primum* grad. 18. m. 45. & rotundè grad. 19. cuius Arcus Semidiurnus Cancri, est grad. 98. m. 36. & Capricorni grad. 81. m. 24.

TA-

TABELLA DISTANTIARVM HORARIARVM pro dato exemplo.

Horæ ♋	115. 46. Arcus ♋ 54. 1. Inuent. 3.	90. 0. Arc. Æq. 54. 1. Inuent. 3.	Horæ ♈, & ♎	64. 14. Arcus ♑ 54. 1. Inuent. 3.	Horæ ♑
24	169. 47	144. 1	24	118. 15	24
23	154. 47	129. 1	23	103. 15	23
22	139. 47	114. 1	22	88. 15	22
21	124. 47	99. 1	21	73. 15	21
20	109. 47	84. 1	20	58. 15	20
19	94. 47	69. 1	19	43. 15	19
18	79. 47	54. 1	18	28. 15	18
17	64. 47	39. 1	17	13. 15	17
16	49. 47	24. 1	16	1. 45	16
15	34. 47	9. 1	15	16. 45	15
14	19. 47	5. 59	14	31. 45	14
13	4. 47	20. 59	13	46. 45	13
12	10. 13	35. 59	12	61. 45	12
11	25. 13	50. 59	11	76. 45	11
10	40. 13	65. 59	10		
9	55. 13	80. 59	9		
8	70. 13				
7	85. 13				

Altitudines horarum inuenire, Sole in principio Tropicorum existente, quæ Methodus reliquis etiam omnium parallelorum punctis deseruire poterit.

4 CAsus quiuis propositus reducendus est ad illum ex tribus explicatis (*supra in prax. 8. cap. 1. huius libri*) quem triangulus postulat ibidem expensus; ac in cœteris prosequendum, iuxta casus eiusdem præcepta.

Exemplum. In casu hic proposito, quia latera trianguli horarij simul quadrantem excedunt; ideò in calculo Altitudinum procedendum est iuxta tertij casus præceptionem *num. 16. citatæ praxeos*. Latus enim B V (in figura ibi exposita) scilicet complementum *Inuenti primi*, siue Altitudinis Poli superficialis, est grad. 71. m. 15. & latus B M, grad. 66. m. 30. Quamobrem Altitudinum calculus ita erit disponendus.

CAL-

CALCVLI FORMA.	G.	M.	Sinus
Altitudo Æquatoris Plani	71.	15	
Declinatio Solis in Tropicis	23.	30	
Aggregatum, cuius Sinus est *Inuentum I.*	94.	45	99657
Differentia,	47.	45	74022
Sinuum aggregatum			173679
Aggregati Semissis, *Inuentum II.*			86839
Idem sublatum ab *Inuento I. Inuentum III.*			12818

5 *Modò* quæratur, *exempli causa*, Altitudo horæ 16. Cancri, cuius distantia est grad. 49. m. 47. Iungantur.

Logarithmus Inuenti secundi Generalis —— 993869
Logarithmus secundus distantiæ grad. 49. m. 47. —— 981002
Colligitur Logarithmus —— 974871
Huius Logarithmi Sinus est —— 56064
Cui si addatur *Inuentum tertium* —— 12818
Fit Sinus Altitudinis horæ 16. Cancri grad. 43. m. 32. —— 68882
Eiusque Vmbra P. 12. m. 38. more solito inuenta *ex praxi 9. capitis primi huius libri*.

6 *Deinde* quæratur Altitudo eiusdem horæ 16. in Capricorno, cuius distantia à Meridie est grad. 1. m. 45. sic.

Logarithmus Generalis —— 993869
Logarithmus secundus distantiæ grad. 1. m. 45. —— 999980
Logarithmus Summæ —— 993849
Cui respondet Sinus —— 86791
A quo subtracto *Inuento tertio* —— 12818
Relinquitur Sinus Altitudinis quæsitæ grad. 47. m. 42. —— 73973
Cuius Vmbra, est P. 10. m. 55.

7 *Tertiò*, quæritur Altitudo eiusdem horæ 16. in Æquatore, cuius distantia, est grad. 24. m. 1. Sic,

Logarithmus Altitudinis Æquatoris in data superficie, (quæ est gr. 71. m. 15.) omnibus horis communis —— 997632
Logarithmus secundus distantiæ horæ 16. gr. 24. m. 1. —— 996067
Logarithmus Altitudinis quæsitę gr. 59. m. 52. Vmbra P. 6. m. 58. — 993699

Data Solis Altitudine, & angulo horario Arcus Azimuthales indagare.

8 AZimutha hìc etiam ijsdem acquires *Analogismis*, ac *in prax.* 10. *cap.* 1. *huius libri* dictum est.

Exemplum. 1. Quæratur Azimuth horæ 16. Capricorni, cuius modò Altitudinem inuenimus grad. 43. m. 32. Sic procedes.

Logarithmo complementi declinationis Solis in ♋, communis --- 996240
Logarithmus Anguli horæ 16. grad. 49. m. 47. ——— 988287
Tomologarithmus Altitudinis grad. 43. m. 32. ——— 13968
Logarithmus Azimuth grad. 75. m. 0. Arcus grad. 261. m. 9. --- 998395

Exemplum. 2. Quæritur Azimuth horæ 16. ♑, cuius Altitudo modò inuenta, est grad. 47. m. 42.

Logarithmus communis ——— 996240
Logarithmus anguli, siue distantiæ, grad. 1. m. 45. ——— 848485
Tomologarithmus Altitudinis grad. 47. m. 42. ——— 17198
Logarithmus Azimuth gr. 2. m. 23. Arcus grad. 153. m. 46. --- 861823

Exemplum. 3. Quæritur Azimuth horæ 16. Æquatoris, cuius Altitudo, est grad. 59. m. 52.

Logarithmus anguli horarij grad. 24. m. 1. ——— 960960
Tomologarithmus Altitudinis grad. 59. m. 52. ——— 29928
Logarith. Azimuth quæsiti gr. 54. m. 10. Arcus gr. 210. m. 19. --- 990888

Azimuth in Arcus Peripheriæ conuertere.

9 PRimùm, si opus fuerit, *ex praxi 1. cap. 2. huius libri*, quæratur distantia Verticalis, quæ tamen in præsenti exemplo; cùm Altitudo Æquatoris sit maior grad. 66. m. 30. nempe grad. 71. m. 15. non est necessaria.

Deinde sequentes seruentur canones.

Pro declinantibus ad Ortum.

10 *IN horis Cancri ante lineam Styli, quarum distantia maior est distantia Verticali, Azimuthis subtrahitur Inuent. II. & cùm nequit fieri subtractio, mutuò assumitur circulus integer grad. 360. & residuum erit Arcus Peripheriæ.*

11 *Si horarum distantia fuerit minor Verticali, aggregatum ex Azimutho, & Inuento Secundo aufertur gradibus* 180.

12 *Post verò lineam styli, si horæ fuerint distantiæ minoris, Azimuthis adduntur gradus* 180. *& aggregato subtrahitur Inuentum II.*

13 *Sin autem distantiæ maioris; Azimutha, & Inuentum II. auferuntur gradibus* 360.

14 *Et cùm omnes ante, & post lineam styli sunt maioris, aut minoris distantiæ, quam Verticalis, quod dictum est de singulis, de omnibus intelligitur.*

15 *Pro horis Æquatoris, & Capricorni, ante lineam styli, aggregatum ex Azimutho, & Inuento II. aufertur gradibus* 180.

16 *Post verò lineam styli, Azimutho adduntur gradus* 180. *& aggregato subtrahitur Inuentum II.*

Pro declinantibus ad Occasum.

17 OMnia peragantur, vt in declinantibus ad Ortum; præter quam quod *Inuentum II.* semper additur, & abiectis gradibus 360. (cum summa hunc numerum excedit) residuum erit Arcus Peripheriæ quæsitus.

18 Sequitur exemplum Tabulæ in tribus prædictis punctis horæ 16. pro declinante ad Ortum grad. 50. sub Altitudine Poli superficialis grad. 30. & Regionis grad. 45.

Horæ	Tropicus Cancri				Æquinoctialis				Tropicus Capricor.			
	Arcus		Vmbra		Arcus		Vmbra		Arcus		Vmbra	
	Grad.	M.	P.	M.	Grad.	M.	P.	M.	Grad.	M.	P.	M.
16	261.	9.	12.	38.	210.	19.	6.	58.	153.	46.	10.	55.

19 Cætera, quæ hîc non explicantur, *praxis 3. huius libri* suppeditabit.

Praxis IX. Sciathericum Horologium Irregulare construere in plano declinante, super quod eleuatur Polus Verticalis.

1 SI datum planum, aut superficies, quæ per Altipolarium *prax. 7. c. 2. Episag. 2. libri primi, partis primæ*, reperiatur subesse Altitudini Poli Verticalis; necnon per declinatorium à Meridiano loci declinationem habere. Inueniantur primum tria illa inuenta, quæ *in praxi superiori* explicauimus. Deinde reliquæ peragantur operationes, quæ ad integram Tabulam conficiendam requiruntur; iuxta præcepta *praxis 3. huius libri*.

2 Tabulæ autem istæ muris tùm Meridionalibus, tùm Aquilonaribus deseruient; etiam pro horis *Babylonicis*; vt ibidem docuimus de Regularibus. Ita tamen, vt in Meridionale sursum eleuetur, *exempli causa*, grad. 10. totidem Aquilonare deprimatur deorsum.

Libri Primi Secundæ Partis Finis.

SYNOPSEOS
GNOMONICES BIFORMIS
PARTIS SECVNDÆ TABVLARIS,
LIBER SECVNDVS;

Cuius

PARS PRIOR *Tabularum Gnomonicarum vsum, iuxta Methodum D. Ioannis Paduanij, scilicet, per Peripheriam, & Regulam;*

POSTERIOR *Tabulas ipsas Gnomonicas* CLXXXIV. *seu potius* CCCLXVIII. *Pro Delineandis Sciatherijs Italicis, & Babylonicis, seu ab Occasu, & ab Ortu; A Meridie, & a Media nocte, siue Astronomicis; necnon Antiquis, seu Planetarijs, & Iudaicis; Tùm Horizontalibus, & Verticalibus directis; Tùm Declinantibus à Meridie, & à Borea, ad singulos gradus Declinationis, sub latitudine Poli grad.* 45. *m.o. supputatas continet.*

Quæ ideò locis, & Ciuitatibus quamplurimis, in eodem circiter Parallelo, per Europam, Asiam, & Americam existentium deseruient; vt statim versa pagina, Catalogus indicat.

Singulis autem Tabulis propria Sciathericorum ab Occasu adiecta sunt Diagrammata Chalcographica.

SYLLOGEO
AVGVSTINO A' PVTEO
I. V. D. AC MATESIPHILO.

VENETIIS, Typis Antonij Bosij, M.DC.LXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

MONITVM
AD LECTOREM.

Enigne Lector hic te rursus admonitum velim, vt si quid erratum, siue in Tabulis, siue in Descriptionibus Horologiorum, in calce Tabularum, in tui commodum, adiectis, inuenies, pienti animo accipias. Cùm enim mihi Tabulas propria manu calculo exarare, & Diagrammata Sciathericorum delineare non vacauerit, præmonstratis præceptis, aliena opera vti compulsus fui. Neque in ipsis Diagrammatis aliud consilij habui, nisi, vt locus styli, in quo Peripheria centrum figeretur, pro diuersitate Horologij describendi innotesceret; qui proinde in linea Horizontali, HO, semper hoc signo (o) demonstratur. Cæterum mihi satis fuit, nouam Methodum, omnium breuissimam, & facillimam, has Tabulas supputandi, in libro superiori promouisse; qua tuo adhibito ingenio, & opere, sphalmata corrigere, omnia melius efformare, ac perficere poteris. Vale.

CATALOGVS
LOCORVM, ET CIVITATVM,

Quibus absque sensibili errore sequentes Tabulæ Gnomonicæ deseruire possunt.

		Alt. Poli. Grad. M.
AQuileia	*AQuileia.*	45. 12
Aqui nella Liguria	*Aquæ Statiellæ.*	44. 33
Alba nella Liguria	*Alba Pompeia.*	44. 36
Alessandria in Lombardia	*Alexandria, Liguriæ.*	44. 44
Ambrum in Linguadocca	*Ebrudunum.*	44. 38
Angea del Lago Maggiore	*Angleria.*	45. 27
Angoulesme in Guascogna	*Incutismo.*	45. 20
Argenta sotto Ferrara		44. 38
Asti nel Piemonte	*Haste Pompeia.*	44. 42
Bagnacauallo in Romagna	*Tiberiacum.*	44. 31
Bardi nella Liguria	*Bardium.*	44. 33
Bassignano nella Liguria	*Augusta Bacionorum.*	44. 53
Bergerac in Francia	*Bergeriacum.*	44. 40
Biron in Francia	*Biro.*	44. 29
Bologna in Romagna	*Bononia, vel Felsina.*	44. 30
Bondeno nel Ferrarese	*Bondicomago.*	44. 51
Bordeos in Guascogna	*Burdigala.*	44. 50
Borgo S. Donino in Lõbardia	*Fidentia.*	44. 47
Bozolo in Lombardia	*Bossolum.*	45. 4
Brescia in Lombardia	*Brixia.*	45. 32
Brianzon nel Delfinato	*Brigantium.*	44. 48
Bussetto	*Buxetum.*	44. 55
Budrio nell'Emilia	*Butrium.*	44. 50
Carmagnola nel Piemonte	*Carmeniola.*	44. 39
Carpi in Lombardia	*Carpia.*	44. 48
Casale nel Monferrato	*Casale Montisferrati.*	44. 54

Cã-

Casal Maggiore in Lõbardia	*Casale Maius.*	44. 57
Castel Franco nell'Emilia	*Forum Gallorum.*	44. 32
Castel Guelfo nell'Emilia	*Castrum Vuelphonum.*	44. 32
Castel Guelfo di Lombardia		44. 46
Castiglion delle Stiuiere	*Castilio Stiuerorum.*	45. 24
Cento nel Ferrarese.	*Centum.*	44. 39
Cherso Isola della Liburnia	*Crespa, vel Crexa.*	45. 23
Comacchio nel Ferrarese	*Comacula, vel Comaculum.*	44. 42
Correggio nel Modonese		44. 47
Crema in Lombardia	*Crema.*	45. 16
Cremona in Lombardia	*Cremona.*	45. 1
Darentaria in Sauoia	*Tarentaria.*	45. 25
Desenzan in Lombardia	*Digentiacum.*	45. 29
Equillon in Guascogna	*Aquilonium.*	44. 55
Embrum nel Delfinato	*Ebrodunum.*	44. 38
Este in Lombardia	*Ateste.*	45. 21
Faenza in Romagna	*Fauentia.*	44. 33
Fasso Città di Ponto	*Phasis.*	44. 46
Ferrara in Lombardia	*Ferraria.*	44. 54
Finale nel Modonese	*Finarium.*	44. 46
Forlì in Romagna	*Forum Liuij.*	45. 17
Fornouo nel Parmegiano	*Forum Neuij.*	44. 38
Gãp nel Delfinato	*Vapinum.*	44. 38
Genoua nella Liguria	*Ianua, & Genua.*	44. 27
Granoble nel Delfinato	*Gratianopolis.*	45. 11
Inurea nel Piemonte	*Eporedia.*	45. 17
Isola della Scala	*Insula Scaligerorum.*	45. 20
Limoges in Francia	*Lemouicum.*	45. 30
Mantoua in Lombardia	*Mantua.*	44. 11
Medicina nell'Emilia	*Meditrina.*	44. 34
Messarano in Piemonte	*Messaranum.*	45. 17
Milano in Lombardia	*Mediolanum.*	45. 14
Mirandola in Lombardia	*Mirandula.*	44. 54

Mo-

Modona nell'Emilia	*Mutina.*	44. 38
Monselice in Lombardia	*Mons Silicum.*	45. 22
Montagnana in Lombardia	*Mons Aneanus.*	45. 12
Montignac in Francia	*Montiniacum.*	44. 54
Montmelian in Sauoia	*Mons Melianus.*	45. 28
Nizza della Paglia	*Nicea Insubrum.*	44. 37
Nonantola in Lombardia	*Nonantula.*	44. 41
Nouara nell'Insubria	*Nouaria.*	45. 10
Nouellaria in Lombardia	*Nouellaria.*	44. 43
Orillac in Francia	*Auriliacum.*	45. 16
Ostilia in Lombardia	*Hostilia.*	45. 5
Padoua in Lombardia	*Patauium.*	45. 31
Pamiers in Guascogna	*Pamia.*	44. 39
Parenzo nell'Istria	*Parentium.*	45. 34
Parma in Lombardia	*Parma.*	44. 44
Pauia in Lombardia	*Ticinum, vel Papia.*	44. 58
Penderachi di Bitinia	*Heraclea.*	45. 5
Periguex in Francia	*Petrogorium.*	45. 4
Piacenza in Lombardia	*Placentia.*	44. 52
Picighitone in Lombardia	*Picileo.*	45. 3
Pinarolo nel Piemonte	*Pinareolum.*	44. 42
Pola d'Istria	*Pietas Iulia.*	45. 20
Reggio nell'Emilia	*Regium Lepidi.*	44. 43
Roueredo nella Lombardia	*Roboretum.*	44. 53
Rouigo in Lombardia	*Rhodigium.*	45. 8
Sabioneda in Lombardia	*Sabuloneta.*	45. 0
Saluzzo nella Liguria	*Salinæ.*	44. 30
Samarkanda in Tartaria		45. 0
Sarlat in Guascogna	*Sarlatum.*	44. 45
Sassuolo nel Modonese	*Saxulum.*	44. 32
Sauigliano nel Piemonte	*Sauilianum.*	44. 30
Signia nell'Istria	*Sinia.*	45. 32
Susa d'Italia nell'Alpi	*Segusium.*	44. 47

To-

Torino nel Piemonte	*Taurinum*	44. 49
Tortona della Liguria	*Dertona.*	44. 45
Tournon in Francia	*Turnonum.*	45. 0
Valencè in Francia	*Valentia Gallica.*	44. 58
Varallo nell'Insubria	*Varallum.*	45. 30
Venetia d'Italia	*Venetia.*	45. 33
Vercelli nell'Insubria	*Vercella.*	45. 3
Verona in Lombardia	*Verona.*	45. 33
Vesulo Monte nell'Alpi	*Vesulus.*	44. 35
Vienna del Delfinato	*Vienna Allobrogum.*	45. 32
Viadana in Lombardia	*Vitellianum.*	44. 55
Vicenza in Lombardia	*Vincentia.*	45. 39
Vigeuano nell'Insubria	*Vigeuanum.*	45. 6
Voghera della Liguria	*Vicus Iriæ.*	44. 58
Zara Nuoua	*Iadera Noua.*	44. 34

His locis addi possunt, Bergamum, Burgos Hispaniæ, Comum, Concordia, Forum Iulij, Geneua Sabaudiæ, Lugdunum Galliæ, Niuers, Taruisium, Tergestum (*Trieste,*) Tridentum, & alij plerique.

IN-

INDEX PRAXEVM

Pro vſu Tabularum ſequentium.

GNO-

GNOMONICES BIFORMIS

PARTIS SECVNDÆ TABVLARIS.

LIBER SECVNDVS.

De Praxibus pro vſu Tabularum Gnomonicarum, quæ in hoc Secundo Libro continentur.

Praxis I. Peripheriam, & Regulam, ad vſum Tabularum Gnomonicarum ſequentium conſtruere; & longitudinem ſtyli determinare.

1 EX lamina ſubtiliori, metallica, aut ex craſſiori papyro abſcindatur circuli Peripheria, vno digito lata; & in gradu 360. continuos diuiſa; veluti, A C B D; cuius explicatio patet ſupra *prax. 1. cap. 2. ſuperioris libri.*

2 Gradus in Peripheriæ lymbo exciſi *duplici* ordine numerorum notentur, *exteriori*, ſcilicet, & *interiori*. Ordo numerorum exteriorum initium ſumat ex B, per C, A, & D, vſque ad 360. rurſus in B, pro horis Italicis, ſiue ab Occaſu, & pro horis à Meridie, & Media nocte; & pro Antiquis, ſeu Planetarijs. Ordo autem numerorum *interior* gradus eoſdem 360. numerabit, exordiendo quidem ex B; at è conuerſo, nimirum verſus D, per A, & C, itidem in B; pro horis Babylonicis, ſiue ab Ortu.

5 Deinde Regula, E F, in partes quotcumque 90. vel 100. vel plures, aut pauciores diuisa paretur.



Nota.

4 IN Peripheria numerantur Arcus Azimuthales, in gradibus, & minutis. In Regula verò computantur Vmbræ in Partibus, quarum singulæ sexaginta minutis æstimantur. Singulæ verò integrarum partium duodenæ, Gnomonis longitudinem valēt. In Figuris autem omnibus Horologiorum positis in calce Tabularum, Stylus est idem, ac designatus in prima Tabula.

Praxis II. De vsu, & applicatione Generali Peripheriæ, & Regulæ iam constructæ; seu fili loco Regulæ.

1 IN superficie Plani, in quo descripturus es Horologium, agantur orthogonaliter, siue in crucem duæ lineæ cœcæ, veluti, A B, & C D, *in Figura superioris praxis*; ita vt sectionis communis earum punctum, E, cum loco Styli prius designato exactè congruat.

2 Linea A B, in planis Horizontalibus, & in Verticalibus directis, erit semper linea Meridiana, prius inuenta, *per praxim 1. vel 2. cap. 4. lib. 2. primæ partis*; in declinantibus, linea Verticalis, beneficio perpendiculi designata. C D, verò, in Horizontalibus, erit sectio communis plani, & Verticalis primarij; at in Verticalibus, sectio communis plani, & Horizontis.

3 His præmissis, plano ipsi clauulis affigatur Peripheria, ita vt eius Diametri, A B, & C D, cum lineis in crucem ductis; & centrum E, cum loco Styli, E, omninò coincidant; eidemque centro E, figatur Regula, in gradus diuisa; vt *superioris praxis Figura* clarè satis demonstrat.

4 In planis *Horizontalibus* pars B, Peripheriæ Boream aspiciat; in *Verticalibus* autem *Australibus*, eadem pars B, terram versus perpendiculariter cadat; In *Aquilonaribus*, è conuerso, pars B, sursum; A, deorsum collocetur.

5 Cùm autem, præsertim Rure, contingere possit, vt Regula tantæ longitudinis, quanta necesse foret, affabrè elaborata difficilè reperiatur; aut eam secum ferre sit Horographo res incommoda; eo casu, in præcrassa papyro describatur Styli longitudo, diuisa in partes duodecim, quarum singulæ intelligantur esse minutorum sexaginta. In E, loco Regulæ infixo clauulo appendatur filum; & paretur circinus. Tùm super gradum Peripheriæ, quem Tabula Gnomonica postulat, filum extendatur, & in ipso, à centro E, Vmbrarum partes, & minutiæ, circino sumptæ ex Styli diuisi longitudine (pluries etiam, si opus sit) repetita, numerentur. In numerationis enim termino, erit Vmbræ punctum quæsitum, & inuentum non secus, ac per Regulam; veluti in sequente praxi.

Praxis III. De Descriptione Sciatherici Italici, siue Horarum ab Occasu, per Tabulas; & Monitum de Chalcographicis figuris Sciathericorum.

1 PRimùm obseruetur quale sit Planum, in quo Sciathericum delineandum est; num scilicet Horizontale sit, aut Verticale. Quod si Verticale existat, rursus videndum est, an sit Horizonti rectum, & Meridiano directum; an verò inclinatum, aut declinans. Si directum fuerit, adhuc expendendum est, num Australe, an Boreale sit. Sin autem declinans fuerit,

ejus declinatio à Meridie, vel à Borea prius determinanda est; & an sit ad Ortum, vel ad Occasum; idque vel *Organicè (per praxim 8. cap. 2. Episag. 2. lib. 1. primæ partis,)* vel *Geometricè, per caput 11. lib. 2. eiusdem partis.*

